CHRISTOPH. MATTHÆI PFAFFII,
S. THEOL. DOCT. ET PROFESSORIS PRIMARII, CANCELLARII ET PRÆPOSITI TUBINGENSIS

DE IMPERSONALITATE ET PERPETUITATE HUMANÆ CHRISTI NATURÆ

liber ſingularis.

TUBINGÆ
impenſis HIOBI FRANCKII,
Anno MDCCXXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

NEmo eſt Theologorum, quem fugiat, articulum de Chriſto traditu & explicatu præ cæteris ferè omnibus valdè difficilem & arduum eſſe. Cujus rei duæ cauſſæ præcipuæ eſſe conſpiciuntur. Una quidem, quòd myſterium fidei, quod ratio comprehendere & effari neſcit, ille exhibet. Altera, quòd partim ingenii humani, quod in myſteria divina inconſulto pruritu & impetu involare amat, curioſitate, partim hæreticorum, qui articulum hunc aggreſſi ſunt, erroribus & hallucinationibus, partim inanibus aliorum altercationibus factum eſt, ut multis inutilibus ſubtilitatibus, multis conceptibus altis & obſcuris, multis & logomachiis terminiſque abſtruſis & tenebricoſis idem involveretur. Hinc,

licet omninò optandum foret, ut in ſimplicitate fidei, remotâ omni diſputatione, heic Theologis liceret acquieſcere & myſterium hoc adorare potius quàm rimari, quâ ratione multum difficultatis in hâc tractatione ſuâ ſponte evaneſceret, neceſſitas tamen pro præſenti rerum ſitu prorſus poſcit, ut inviti quoque in iſtum ſubtilitatum campum ſubinde deſcendamus, non eam ob cauſſam, quòd altis iſtis diſquiſitionibus delectemur, ſed ut veritatem fidei à ſtrophis errantium vindicemus atque, quid de diſſenſionum in hoc articulo occurrentium momento & pondere tenendum ſit, eò clarius & penitiùs conſtet. Quæ & ipſa ratio nobis exſtitit, quòd prolixiore operâ in inſtitutionibus noſtris Theologicis eundem excuſſimus &, quæ longè breviùs enarrari poterant, latiùs ac in aliis articulis à nobis factum eſt, diduximus. Nec eſt, quòd in illâ tractatione nunc quoque ſubſiſtamus, qui facilè capimus, nos operam prorſus haud luſuros, ſi unum alterumve, quod hùc ſpectat, argumentum ſeparatim evolvamus, maximè quod ab aliis haud adeò tritum, quod à nemine datâ operâ enarratum

fuerit.

Digitized by Google

fuerit. Placet itaque jam, duo hæc in præſentiâ capita explicare, quorum unum *de imperſonalitate*, alterum *de perpetuitate humanæ Chriſti naturæ* agit. Quod dum facimus, divinam lucem à Patre luminum ſub initium rerum ſupplici prece depoſcimus.

CAPUT PRIMUM de imperſonalitate humanæ Chriſti naturæ.

§. I.

Nôrunt, qui actoamaticæ Theologiæ deguſtârunt principia, proprietates humanæ Chriſti naturæ competentes eſſe vel communes vel individuales, harumque poſteriorum unam eſſe ἀνυποςασίαν ſive imperſonalitatem. Scilicet, cùm humana Chriſti natura nunquàm ſola ſubſtiterit ſed inde à primo exiſtentiæ ſuæ momento cum divinâ naturâ fuerit unita, cùm & eadem propriam ſubſiſtentiam non habeat, ſed à λόγῳ in ſuam hypoſtaſin fuerit aſſumta, cùm & ad θεάνθρωπον conficiendum ab æterno fuerit ordinata, cùm porrò una ſaltem in Chriſto ſit perſona eaque non ex duabus conflata, non humana, ſed divina, luce clarius patet, naturam Chriſti humanam eſſe ἀνυπόςατον, *imperſonalem*, hoc eſt, propriâ & humanâ & finitâ hypoſtaſi carentem, etſi in alienâ, in divinâ, in infinitâ hypoſtaſi, ſibi quippe per incarnationem τῦ λόγυ communicatâ ſubſiſtat, & hâc

 ratio-

ratione ſit ἀνυπόστατος. Quæ ipſa jam latius exponenda ſunt.

§. II.

Ante omnia verò evolutionem terminorum neceſſariam eſſe quivis videt. Dicendum ergò, quid per ὑπόστασιν, quid per *perſonam*, quid per ἀνυπόστατον intelligamus. Mirum verò eſt, quàm πολύσημοι apud veteres ſint hi termini quantiſque ii logomachiis occaſionem dederint. Rem, de quâ largum & luculentum volumen conſcribi poſſet, demus, eja, in compendio, ne lector fatigetur. Et primò quidem, quod ὑπόστασιν ſpectat, notandus eſt vocis uſus & profanus & Biblicus & eccleſiaſticus. Qui profanam vocis acceptionem noſſe voluerit, adeat, licet, Lexicographos tùm veteres, tùm recentiores, & ex his maximè HENR. STEPHANUM *(a)*. Addi poteſt SOCRATES, *(b)* qui magno conatu diverſas vocis hujus poteſtates conquiſivit. Senſum philoſophicum ex veteribus poſt alios datâ operâ expoſuere LEONTIUS BYZANTINUS *(c)*, JO. DAMASCENUS *(d)*, SUIDAS *(e)*, ex recentioribus THEOPHILUS ALETHINUS ſive JO. CLERICUS *(f)*. Et verò ait loco citato SOCRATES, veteres Philoſophos Græcos voce ὑποστάσεως uſos haud eſſe, recentiores per ὑπόστασιν idem quod per οὐσίαν intellexiſſe. LEONTIUS ait, ὑπόστασιν primò ſumi pro omni eo, quod revera exiſtit nec ſaltem ſpecietenus. Ita colorum alios veros eſſe, qui ὑπόστασιν habere dicantur, alios apparentes, qui ſint ἀνυπόστατοι. Porrò addit ſumi & vocem pro individuâ ſubſtantiâ, opponique ſic accidenten-

(a) in Theſauro Græcæ linguæ T. I. f. 1798. *(b)* Hiſt. Eccleſ. L. III. C. 7. *(c)* de ſectis actione VII. *(d)* in dialecticâ C. XI. XXIX. XXX. XLII. ſqq. *(e)* in Lexico, voce ὑπόστασις. *(f)* ad PETAVIUM de Trinitate f. 189. notâ 62.

dentibus. JO. DAMSACENUS per hypoſtaſin mox intelligi ait ſubſtantiam completam, mox duplicem vocis ſenſum eſſe affirmat. Si enim abſolutè ſumatur, ſignificari per ὑπόστασιν omne id, quod exiſtit, ſive ſit ſubſtantia ſive accidens. Si propriè, ſignificari ἄτομον ſive individuum & perſonam particularem cum accidentibus ſuis ſumtam. Eodem modo idem, quid ſit ἐνυπόστατον, explicat. Ait enim, vocem generaliter ſumtam ſignificare id, quod exiſtat, ſpecialiter & propriè individuum, quod hypoſtaſin habeat, vel id, quod per ſe non ſubſiſtit ſed ſaltem in individuo, ut ſpecies, aut quod cum alio ſubſtantiâ diverſo unam hypoſtaſin compoſitam efficit, uti anima & corpus in homine ſunt ἐνυπόστατα ambo, imò & ἐνυπόστατον id eſſe, quod ab alio in ſuam hypoſtaſin ſit aſſumtum, uti humana Chriſti natura. De ἀνυποστάτῳ ait, illud iterum duplici ſenſu efferri, vel enim denotare id, quod planè non exiſtit, vel id, quod per ſe non exiſtit ſed alteri inhæret, ut accidens. Quæ omnia facilè oſtendunt, haud ſatis claris DAMASCENUM ideis heic gaviſum eſſe & individuum à ſuppoſito & perſonâ, ſubſiſtentiam item ſubſtantificantem à ſuppoſitante haud ſatis diſtinxiſſe. SUIDAS rectè quidem ait, ὑπόστασιν propriè indigitare τὸ καθ' ἑαυτὸ ἰδιοσυστάτως ὑφιστάμενον, ſed tùm minùs accuratè rem explicat, ubi putat, ſubſiſtentiam illam ſuppoſitantem & ἰδιοσυστασίαν efficere τὸ τῶν συμβεβηκότων ἀθροισμα ἐν ἑνὶ ὑποκειμένῳ, accidentium congeriem in uno ſubjecto. TH. ALETHINUS ait, Philoſophos Græcos, maximè Platonicos per ὑπόστασιν intellexiſſe vel exiſtentiam in ſe conſideratam vel ſubſtantiam exiſtentem. Id quod adductis ex PLOTINO locis probat. Sed hæc quidem omnia non opus eſt, nos ut morentur. Uſus vocis ὑποστάσεως Biblicus hic eſt. Significat firmam ſubſiſtentiam 2 Cor. VI. 4. XI. 17. firmam perſuaſionem, id eſt,

fiduciam certam Hebr. III. 6. 14. XI. 1. & ſubſtantiam vel perſonam quoque Hebr. I. 3. ubi Theologos in partes ire conſpicias. Quod Eccleſiaſticam denique vocis poteſtatem attinet, conſtat, vetuſtiores Patres, imò & Concilia Nicænum, Sardicenſe & Romanum ſub Damaſo idem per ὑπόστασιν intellexiſſe, quod per οὐσίαν. Hinc & iidem veriti ſunt dicere, in Trinitate tres eſſe hypoſtaſes, unam ſaltem aſſerentes, licet ſimul & τρία πρόσωπα aſſererent. Loca Patrum hùc ſpectantia magno numero adducunt DION. PETAVIUS (g), JO. CASPAR SUICERUS (h) & MICHAEL LEQUIEN (i), qui otia nobis hîc faciunt. At verò poſteriora Concilia Oecumenica Patrumque plurimi, maximè recentiores οὐσίαν ab ὑποστάσει plurimùm diſtinxerunt. Loca itidem refert laudatus PETAVIUS (k), quem exſcribere haud vacat. His verò Patribus ὑπόστασις idem eſt, quod πρόσωπον. Hinc & factum, ut quidam olim aſſererent, tres eſſe in Trinitate hypoſtaſes, ut à Sabellianis facerent divortium, alii unam ſaltem, ut ab Arianis ſeſe diſtinguerent. Agitata & hanc in rem lis fuit & deciſa in Synodo Alexandrinâ A. CCCLXII. poſtquam Hoſius Cordubenſis & & Meletius Antiochenus tres hypoſtaſes, Paulinus ejusdem Anti-Epiſcopus unam ſtatuit, tandemque concluſum, pugnam hanc eſſe logomachicam atque à phraſibus iſtis abſtinendum inque terminis Concilii Nicæni ſubſiſtendum eſſe. (l) Quamvis autem & Occidentales hanc tenuerint

(g) de Trinitate L. IV. C. 1. §. 5. ſeqq. & de incarnatione L. II. C. 3. L. IV. C. 7. L. VI. C. 1. 2. (h) in Theſauro Eccleſiaſtico, voce ὑπόστασις, T. 2. f. 1395. ſeqq. (i) in notis ad JO. DAMASCENI dialecticam f. 36. 37. Addi poteſt STEPH. CURCELLÆUS in diſſert. de vocibus Trinitatis, perſonæ, ὑποστάσεως &c. §. 68. (k) de Trinitate loc. cit. §. 11. ſeqq. & de incarnatione L. II. C. III. §. 6. 14. L. V. C. 7. §. 8. L. VI. C. II. §. 7. (l) Acta hujus Synodi habentur apud ATHANASIUM

Digitized by Google

rint φράσιν, unam ſaltem in Trinitate eſſe ὑπόστασιν, Id quod vel ex ſolâ HIERONYMI ad Damaſum Epiſtola patet, qui tres hypoſtaſes dicere veritus eſt, poſteà tamen iſta φράσις de tribus hypoſtaſibus communior facta fuit atque in utrâque deinceps Eccleſiâ ſine contradictione obtinuit. Mirumque oppidò eſt, quî logomachia iſta ſchiſma in Eccleſiâ Antiochenâ creare potuerit, quam & in elegantiſſimâ *de logomachiis eruditorum* diſſertatione (*m*) notat SAM. WERENFELSIUS, Theologus Baſilienſis celeberrimus. Aſt luculentiùs adhùc ediſſerendum, quî Patres ὑπόστασιν ab οὐσία diſtinguant. Ajunt ii, οὐσίαν eſſe ſpeciem & commune quid, ὑπόστασιν individuum & quod ſit particulare. Ita unam in Trinitate eſſe οὐσίαν & eſſentiam divinam, tres hypoſtaſes. Ita Petrum, Paulum & Johannem unam habere οὐσίαν ſed ὑποστατικῶς eſſe diſtinctos. Locorum inſignem farraginem producunt PETAVIUS (*n*), SUICERUS (*o*), LEQUIEN (*p*), CURCELLÆUS (*q*). Sed facile capiunt, queis emunctæ ſunt nares, ſic ad ὁμοουσίαν perſonarum in Trinitate ſpecificam, quæ prorſus proſcribenda eſt & cui incautè Patres inhiâſſe videntur (*r*), viam ſterni. Itaque ſalis orthodoxi copia hîc adſpergenda eſt & locutiones incommodæ bene explicandæ veniunt. Egregiumque admodùm eſt, quòd ab

in epiſt. ad Antiochenos, quæ & in operibus ipſius exiſtat, & in Conciliis HARDUINI T. I. f. 734. & apud SOCRATEM Hiſt. Eccl. L. III. C. 7. quem carpit hîc PETAVIUS de Trinitate L. IV. C. 2. §. 15. qui plenam Synodi hujus hiſtoriam ex BASILIO, ATHANASIO, RUFFINO & GREG. NAZIANZENO condidit de Trin. L. IV. C. 4. §. 9. ſeqq. Addi poteſt JO. FORBESIUS à CORSE in Inſtruct. Hiſtor. Theol. L. I. C. 2. §. 8. (*m*) C. 2. §. 2. (*n*) de Trin. L. IV. C. 7. & de incarn. L. VI. C. 1. 2. 3. (*o*) loc. cit. (*p*) loc. cit. (*q*) loc. cit. §. 74. ſeqq. (*r*) Vide PETAVIUM de Trin. L. IV. C. 7. 9. 13.

ab ideis Patrum noſtra fides haud pendet. Accuratior paululum iſta inter οὐσίαν & ὑπόστασιν Patrum diſtinctio eſt, quando ajunt, ὑπόστασιν amplius aliquid dicere ac οὐσίαν & huic τρόπον ὑπάρξεως, *modum ſubſiſtendi* ſuperaddere. Loca idem PETAVIUS dat (*s*), qui & ait, juxta Patres id eſſe hypoſtaſin, quod 1. exiſtat & quidem 2. per ſe, 3. ſit completa ſubſtantia, quam Græci vocent αὐτοτελῆ, 4. quæ & ſubjecta ſit accidentibus, unde ſubſtantia & ſuppoſitum dicatur. Nec tamen & hæc ipſa ita comparata ſunt, ut limam haud deſiderent, cùm ὑποστάσεως nonniſi τρόπος ὑπάρξεως ſit & ſubſiſtentia ſubſtantificans cum ſubſiſtentiâ ſuppoſitante, id, quod eſt completum in eſſendo, cum eo, quod eſt completum in ſubſiſtendo, hic manifeſtè confundantur. Alia enim eſt ſubſtantiæ, alia ſuppoſiti ὕπαρξις. Ex quibus & facile judicare eſt, num rectè ajat PETAVIUS, ὑπόστασιν eſſe ſuppoſitum vel perſonam, πρόσωπον verò ſuppoſitalitatem vel perſonalitatem (*t*). Idem & denique obſervat, ὕπαρξιν apud Patres mox *exſtantiam* in genere, mox *exiſtentiam individualem* denotare (*u*), ubi iterum de ὑπάρξει ſuppoſitante nîl dicit. Aſt nimia de voce ὑποστάσεως diximus. Unum eſt, quod addimus, idque præcipuum, Scholaſticos modernoſque Theologos longè accuratiùs ac Patres heic procedere, ubi ajunt, ὑπόστασιν abſtractè & formaliter ſpectatam ipſam perſonalitatem ſeu ſubſiſtentiam denotare, quæ ſubſtantiam intelligentem ultimatò terminat, actuat & complet, ita ut ad aliud non ordinetur nec ſit communicabilis ſed ex ordinatione divinâ in ſeipſâ terminetur

(*s*) L. IV. C. 8. (*t*) L. IV. C. 2. §. 10. (*u*) L. IV. C. 2. §. 11. 12.

Digitized by Google

notur & per ſe ſubſiſtat (*v*). Quâ de re mox plura dicemus.

§. III.

De perſonâ & *προσώπῳ* facilior & brevior eſt tractatio. Etſi enim & hæ voces variè à veteribus ſumtæ fuerint, ita, ut perſonæ tùm morales, quæ ſunt *ἀνυπόστατοι* (*x*), tùm metaphyſicæ, quæ ſunt *ὑποστατικαὶ*, iis fuerint inſignitæ, & *πρόσωπον* quoque iidem pro ſubſtantiâ ut tali ſubinde ſumſerint, tamen uſus acroamaticus apud Patres mox obtinuit, ut perſona idem eſſet, quod hypoſtaſis. Unus inſtar omnium rem enarret GREGORIUS NAZIANZENUS, qui in oratione XXXIX. ita infit: *Deum cùm dico, uno eodemque triplici lumine perſtringamini. Triplici quidem, quantum ad proprietates ſive hypoſtaſes, ſi cui hæc vox magis arridet, ſive perſonas, (neque enim de vocabulis diſſidebimus, quamdiu ſyllabæ ad eandem ſententiam ferent,) uno autem, quantum ad ſubſtantiæ, hoc eſt, divinitatis rationem.* Qui eruditam vocis *προσώπου* & perſonæ, quatenus à veteribus uſurpata eſt, evolutionem nôſſe voluerit, DION. PETAVIUM adeat, qui de Trinitate (*y*) & incarnatione (*z*) prolixè & eruditè rem tradidit, & conferat, quæ inter STEPH. CURCELLÆUM (*a*) ac SAM.

 MA-

(*v*) Vide omninò PETAVIUM de incarn. L. III. C. 12. §. 2. Habet & hanc in rem quædam idem L. VI. C. 1. §. 6. qui & paſſim id notat, *ὑπάρχειν* pro re ſtabili & conſiſtente ſumi, quomodo ſucceſſiva & corruptibilia hypoſtaſi carere dicantur. Adde vel maximè ex noſtris MART. CHEMNIT. de duabus naturis in Chriſto C. I. & JO. GERHARDUM in loco de Chriſto §. 130. (*x*) Vide PETAVIUM de Trin. L. IV. C. 2. §. 5. ſeqq. Ita Sabelliani quidem *τρία πρόσωπα* in divinitate ſtatuerunt, ſed *ἀνυπόστατα*. Orthodoxi *ὑποστατικὰ* ſtatuunt. (*y*) L. IV. C. II. III. IV. IX. ſeqq. (*z*) L. V. C. 5. ſeqq. & paſſim. (*a*) in quatern. diſſ. Theol. adv. SAM. MARESIUM, diſſ. 1. de vocibus Trinitatis, perſonæ &c.

MARESIUM *(b)* heic diſputata olim fuere. Mirum eſt, quòd exiſtimaverit CURCELLÆUS, ſi perſona dicatur ſuppoſitum intellectuale, poſitis tribus in Deitate perſonis, Tritheiſmum oriturum, imò ſecuturum porrò, animas à corpore ſeparatas & humanam Chriſti naturam quoque perſonas eſſe, ſi verò perſona dicatur eſſe τρόπος ὑπάρξεως, perſonam divinam, quia ſit ſaltem modus, minus entitatis habituram quàm accidens & propemodum nihil fore, per conſequens, controverſiam de Trinitate valdò exilis momenti eſſe. Quæ ipſa cùm in inſtitutionibus Theologicis *(c)* jam diluerimus, non vacat, quæ ibi diximus, jam heic repetere vel ulteriùs diducere. Sufficiat nobis, hoc loco ſollicitè monuiſſe, probè diſtinguendam eſſe *ſubſtantiam*, *ſuppoſitum* & *perſonam*. Subſtantia juxta Metaphyſicos, quos hîc audire prorſus debemus, eſt ens per ſe ſubſiſtens. Nec eſt, quòd jam dicas, ſubſtantiam ſic idem cum perſonâ fore, eam ob rationem, quoniam Auguſtana noſtra Confeſſio Art. I. perſonam per id definiat, *quod propriè ſubſiſtit.* Neque enim præſtantiſſimi Confeſſores noſtri, ubi perſonæ notionem heic dedere, plenam ejus definitionem dare voluerunt, nec per ſubſiſtentiam illam, quam nominant, ſubſiſtentiam ſubſtantificantem ſive πρωθυπαρξίαν ſed ſuppoſitantem ſive αὐθυπαρξίαν indigitârunt. Illa eſt, quæ accidenti opponitur, quod per ſe non ſubſiſtit ſed ſubſtantiæ ineſt & inhæret. Hæc eſt, juxta quam ſubſtantia non ſaltem per ſe ſubſiſtit, ſed & ultimatò ſubſiſtit, nec ad complendam aliam tendit & ordinatur. Ita exempli gratiâ anima humana habet ſubſiſtentiam ſubſtantificantem, non enim eſt accidens, ſed non habet ſub-

(b) in append. ad Joannam Papiſſam reſtitutam, ubi exſtat diſſ. Theol. pro SS. Trinitate contra STEPH. CURCELLÆUM.
(c) P. 1. C. 2. §. 3.

ſubſiſtentiam ſuppoſitantem, quia ad complendum hominem tendit, vergit & ordinatur. Eſt itaque illa in ſubſiſtendo incompleta. Imo dicitur & in *eſſendo* incompleta, non in ordine ad ſuum *eſſe ſimplex*, ſed in ordine ad *eſſe compoſitum* hominis. Ex quibus utique patet, ſubſtantiam latiùs patere ſuppoſito & perſonâ. Subſtantia enim vel incompleta vel completa eſt. Illa eſt, quæ ultimatâ ſubſiſtentiâ deſtituitur &, prout in ſe conſideratur, dicitur ἀνυπόστατος, prout in alio ſubſiſtit, ἐνυπόστατος, hæc eſt vel ſuppoſitum, quod de irrationalibus dicitur, vel perſona, quæ eſt ſuppoſitum intellectuale ſive ſubſtantia individua, intelligens, per ſe, ultimatò & immediatè ſubſiſtens, incommunicabilis (alteri ſcilicet perſonæ,) non ſuſtentata ab ſive in alio. (*d*) Quâ ratione facile utique patet, humanam Chriſti naturam, etſi ſit ſubſtantia per ſe ſubſiſtens & ſubſiſtentiâ ſubſtantificante floreat, tamen ultimatam ſubſiſtentiam, (dantur enim ſubſiſtentiæ gradus,) non habere, quia ad complendum θεάνθρωπον vergit & ordinata eſt, adeoque IMPERSONALEM eſſe. Nec eſt, quòd ajas, & divinam naturam τῦ Λόγυ ſic imperſonalem fore, quia & illa ad complendum θεάνθρωπον vergat. Hæc enim cùm propriâ ſuâ perſonalitate inde ab æterno gaviſa fuerit nec ex neceſſitate quâdam intrinſecâ ad complendum θεάνθρωπον vergat & perſonalitatem ſuam in incarnatione retinuerit, imò in eandem humanam naturam aſſumſerit, patet, ἀνυποστασίαν illi nullâ ratione attribui poſſe, quæ hoc ipſo ἰδιοσύστατος eſt & αὐθυπαρξία omnimodâ gaudet. Et hæc quidem jam de voce perſonæ & προσώπυ ſufficiant.

(*d*) Confer hîc omninò, quæ ſub initium diſſertationis ſecundæ Anti-Bælianæ diximus.

§. IV.

Reſtat, ut de eo, quod eſt ἀνυπόστατον, quædam dicamus. Etſi enim ex iis, quæ jam poſuimus, vocis notio ſatis pateat aliqua tamen addenda veniunt. Scilicet in uſurpatione vocum ἐνυποστάτου & ἀνυποστάτου veteres mirè variârunt. Aliquando enim per ἐνυπόστατον ſignificârunt id, quod exiſtit ſimpliciter, quâ ratione & accidentia ſunt ἐνυπόστατα, aliquando id, quod propriâ ſubſiſtentiâ haud gaudet ſed in alienâ ſubſiſtit, quâ ratione humana Chriſti natura eſt ἐνυπόστατος, aliquando &, quod propriam habet ſubſiſtentiam ultimatam & æquipollet τῷ ὑποστατικῷ, quomodo quævis perſona in Trinitate eſt ἐνυπόστατος. Sic & ἀνυπόστατον mox illis eſt, quod planè non exiſtit, mox, quod nec in alienâ ſubſiſtentiâ exiſtit ſed ab eâ divulſum eſt, mox, quod in propriâ quidem ſubſiſtentiâ non ſubſiſtit ſed in alienâ, qui poſterior uſus communis & noſter eſt, ubi de naturâ Chriſti humanâ ἀνυποστάτῳ agimus (e). Rem præ cæteris ex veteribus prolixè explanavit, quem jam ſupra citavimus, JO. DAMASCENUS. Is enim non ſaltem in Dialecticâ, quam ſcripſit, mentem ſuam prolixè heic effert ſed & de fide orthodoxâ, ubi tamen L. III. C. IX. haud patitur, humanam Chriſti naturam dici ἀνυπόστατον, quoniam ſit ἐνυπόστατος & in ὑποστάσει τοῦ λόγου ſubſiſtat, nec detur ulla φύσις ἀνυπόστατος ſive nulla ſubſtantiæ ſpecies, quæ non in individuis exſtet. Sed verò ſubſiſtentiam ſubſtantificantem & ſuppoſitantem, de quâ poſteriore hîc quæritur, hîc iterum confundi videas, id quod & facit LEONTIUS in locis ibidem à LEQUIENIO in notâ adductis. Mirum eſt, quantoperè terminis hîc ſeſe invol-

(e) Quomodo humana natura dici poſſit ἀνυπόστατος, egregiè diſquirit JO. GERHARDUS in loco de Chriſto §. 112.

volvant Patres, nullumque eſt dubium, longè clarius, longè curatiùs hæc apud noſtros enarrari. Non poſſum, quin ponam hùc verba MICH. PSELLI, qui in politicis verſibus diverſas vocis ἐνυποςάτου acceptiones ita perſtringit:

Τὸ δέ γε ἐνυπόςατον πολυσήμαντον, ἄναξ.
Ἔςι γὰρ ἐνυπόςατον τὸ ἀληθὲς ὑπάρχον.
Καὶ αὖθις ἐνυπόςατον τὸ κοινὸν τῆς ὀυσίας,
Ἤγουν τὸ εἶδος, δέσποτα, ἐπὶ τοῖς ἀτόμοις
Πραγματικῶς ὑφεςηκὸς, ὀυ ψιλῇ ἐπινοίᾳ.
Ἔςι δὲ ἐνυπόςατον, ὃ πλέον φροντιςέον,
Ὅπερ ἐςὶ συγκείμενον μεθ' ἄλλου διαφόρου
Κατὰ ὀυσίαν, δέσποτα, εἰς σύςασιν προσώπου
Ἑνὸς καὶ ὑποςάσεως μιᾶς γένεσιν, ἄναξ.
Ὑπόςασις δὲ πέφυκε κυριολογουμένη
Πρᾶγμα ἰδιοσύςατον, ἓν μᾶλλον πρόσωπόν τι.

Quæ verba verſa ita ſe habent:

Enhypoſtaton verò multa ſignificat, O Rex!
Eſt enim enhypoſtaton, quod verum eſt,
Et rurſus enhypoſtaton commune ſubſtantiæ,
Videlicet ſpecies, Domine! in individuis
Re ipſa ſubſiſtens, non ſimplici cogitatione.
Eſt & enhypoſtaton, quod ampliùs curandum,
Quod eſt compoſitum cum alio differente
Secundùm eſſentiam, Domine! ad conſtituendam perſonam
Unam & hypoſtaſis unius productionem, O Rex!
Hypoſtaſis verò naturâ ſuâ eſt, ſi propriè ſumatur,
Res per ſe ſubſiſtens & una magis perſona.

Ita lepidè PSELLUS. Cæterùm & id notandum, τὸ ἐνυπόςατον æquipollere τῷ ἐνυπάρκτῳ, dici & ſubinde humanam Chriſti naturam ἑτεροϋπόςατον, quia in alienâ ὑποςάσει ſubſiſtit, imò

& συνυπόςατον eandem ſic dici poſſe. Plura hanc in rem PETAVIUS habet, qui conſuli poteſt (f).

§. V.

His præmiſſis, ad rei ipſius evolutionem jam citato greſſu procedimus. Dicimus itaque, *humanam Chriſti naturam eſſe ἀνυπόςατον*, hoc eſt, *ſubſiſtentiam propriam haud habere, ſed in alienâ hypoſtaſi & ſubſiſtentiâ, divina nempe natura, ſubſiſtere.* Quod ipſum dum ponimus, non id profectò volumus, humanam Chriſti naturam exiſtentiam propriam non habere (g), aut ſubſiſtentiâ ſubſtantificante illam carere. Qui enim prius diceret, è numero entium, qui poſterius, è catalogo ſubſtantiarum eandem eximeret. Itaque ſaltem ſubſiſtentiam ſuppoſitantem & ultimatam humanæ Chriſti naturæ denegamus, qui aliâs luculenter largimur, eandem, ſi ſeparatim exiſteret, quo vero caſu natura Chriſti exſtitura non eſſet, hypoſtaſi ſuâ propriâ haud carituram. Id quod dudùm alibi affirmavimus (h). Sunt autem argumenta, quæ ἀνυποςασίαν ſive *imperſonalitatem* humanæ Chriſti naturæ inſinuant, hæc. I. Quia aliâs duæ in Chriſto perſonæ, duo Chriſti emergerent & unio perſonalis ſic tolleretur. II. quia duas hypoſtaſes in unam conflari contradictionem involvit. III. quia hypoſtaſis infinita cum finita miſceri & in unam coagulari haud poteſt. IV. quia divinam naturam in hypoſtaſi humanâ ſubſiſtere iterum contradictionem implicat. V. quia humana natura ante unionem non exſtitit ſed in primo exiſtentiæ ſuæ momento divinæ naturæ unita fuit. VI. quia divina hypo-

(f) de Trinitate L. IV. C. 2. §. 9. C. 8. §. 10. 11. & de incarn. L. V. C. 6. §. 8. C. 8. §. 2. 3. (g) Hanc humanæ Chriſti naturæ peculiari capite ex Patribus adſerit PETAVIUS de incarn. L. V. C. 6. (h) Inſtit. Theol. P. 2. C. 4. §. 2.

Digitized by Google

poſtaſis humanam hypoſtaſin abſorpſiſſe dici nequit. VII. quia humana Chriſti natura ad complendum Θεάνθρωπον divinitùs ordinata fuit. VIII. quia unio perſonalis facta eſt in naturâ characteriſatâ. IX. quia Λόγος ſive Filius Dei, etſi naturam individuam aſſumſerit, tamen non aſſumſit perſonam. X. quia divina natura humanam in hypoſtaſin ſuam aſſumſit eamque humanæ communicavit. Agedum, ſi placet, lector, rationes has noſtras & argumenta ſolido ſed brevi tamen penicillo diducamus.

§. VI.

Et verò, quod primum attinet, ex quo theſin noſtram de imperſonalitate humanæ Chriſti naturæ deducimus, argumentum, facile patet, poſitâ propriâ humanæ Chriſti naturæ hypoſtaſi duas in Chriſto perſonas emerſuras eſſe. Si enim divina natura, quæ profectò hypoſtaſin ſuam amittere nequit, propriâ hypoſtaſi gaudet, ſi & porrò humanæ naturæ propria hypoſtaſis & perſona adſcribitur, duas illicò in Chriſto perſonas habemus, queis poſitis non unus eſt Chriſtus, quem juxta 1. Tim. II. 5. Eph. IV. 5. 1. Cor. VIII. 6. credimus, ſed duo Chriſti unioque perſonalis ſic ſolvitur meraque unio paraſtatica emergit, in nudâ relatione externâ & conſenſu conſiſtens, quæ hæreſis Neſtoriana dicitur, ab Orthodoxis tùm veteribus tùm recentioribus (*i*) profligata, qui Chriſtum μονυπόστατον eſſe aſſerunt. Sed hæc quidem prolixâ explicatione non egent.

§. VII.

Secundum, quo ἀνυποστασίαν humanæ Chriſti naturæ adſtruimus, argumentum ex eo petitur, quòd duæ hypoſtaſes in unam conflari nequeunt. Perſonæ enim præ-

(*i*) Sunt enim & inter recentiores, qui hic peccant & quorum falſæ de unione inter divinam & humanam naturam ideæ obelo notantur. Vide ZACH. GRAPII Chriſtologiam recens controverſam Qu. 5.

præcipuum eſt incommunicabilitas & perſona eſt incommunicabilis alteri perſonæ, uti metaphyſicus canon fert. Nec jungi poſſunt duæ ſubſiſtentiæ ultimatæ, ita ut in unam conflentur (*k*). Hinc rectè BOETHIUS, *omninò ex duabus perſonis nil unquàm fieri poſſe*. Hinc & veteres tàm malè habuit, quòd Neſtorius duas in Chriſto hypoſtaſes tùm ante tùm poſt unionem ſtatuit, quòd & Eutyches duas in Chriſto hypoſtaſes exſtitiſſe ratus eſt, quæ in unitione contemperatæ fuerint, alterutrâ vel utrâque peremtâ. Loca Patrum hùc ſpectantia conglomeravit PETAVIUS (*l*).

§. VIII.

Tertia, quam dedimus, ratio priorem ſtringit. Uti enim in genere contradictionem implicat, hypoſtaſes duas in unam conflari, ita multò magis contradictorium hoc eſt, hypoſtaſin divinam cum humanâ, infinitam cum finitâ, creatam cum increatâ, perfectam cum im-

(*k*) Sic Petrus & Paulus nec per abſolutam Dei potentiam una perſona fieri poſſunt. Sic hirco-cervus eſt σιδηρόξυλον. Et quod ultimatò jam terminatum eſt, eo ipſo non-unionem cum alio implicat.

(*l*) Vide de incarnatione L. III. C. IV. §. 15. C. XI. §. 12. L. V. C. IX. per totum. Unicum dabimus locum EPHRÆMII, Patriarchæ Antiocheni ex excerptis Photii in Bibl. cod. 228. Verba hæc ſunt: οὐκ ἔστιν ὑπόστασιν ὑποστάσει ἑνωθῆναι καθ' ὑπόστασιν, οἷον Παῦλον καὶ Πέτρον μίαν ὑπόστασιν ἀποτελέσαι ἀδύνατον, ἀλλ' οὐδὲ οὐσίαν ἑτέρᾳ οὐσίᾳ, καθ' ὃ ἐπερχόμενα εἰς ταυτότητα συνελθεῖν οὐσίας, οἷον ψυχῆς καὶ σώματος οὐσίαν μίαν οὐσίαν ἀποτελεσθῆναι, εἰ μήπω ἄρα εἰς κοινότητά τινα ταύτας ἀνάγῃ. *Fieri non poteſt, ut hypoſtaſis hypoſtaſi ſecundùm hypoſtaſin copuletur, velut Paulum & Petrum unam efficere hypoſtaſin impoſſibile eſt. Sed neque ſubſtantiam cum alterâ ſubſtantiâ in eandem convenire ſubſtantiam, velut animæ corporiſque ſubſtantia unam efficere ſubſtantiam non poteſt, niſi quis ad commune quoddam genus ambo referat.* Quæ ipſa omninò ſolidè & accuratè dicuntur,

imperfectâ in unam conflari, maximè cùm hypoſtaſis divina cum naturâ divinâ à parte rei unum idemque ſit & ſic mutationemquandam paſſura eſſet. Nec perfici enim divina hypoſtaſis ab hypoſtaſi creatâ nec deterior per eam fieri poteſt (*m*). Nec eſt, quòd ajas, hypoſtaſin & ſuppoſitalitatem non in poſitivo ſed in negativo conſiſtere. Ut enim taceamus, te ſic tuam cauſſam ipſummet jugulare, cùm negativum illud, quod eſt *non unio cum alio* & *incommunicabilitas*, in ſe hoc importet, quòd perſona perſonæ perſonaliter uniri nequeat, jam dudùm diximus, hypoſtaſin divinam in negativo conſiſtere haud poſſe (*n*). Peccant hinc quàm maximè Theologi Carteſiani, CHRISTOPH. WITTICHIUS (*o*), PETRUS ALLINGA (*p*) & JO. BRAUNIUS (*q*), qui ſtatuunt, ex divinâ & humanâ hypoſtaſi tertiam conflatam fuiſſe, nempe theanthropicam, refutati eapropter à SAMUELE MARESIO (*r*), PETRO VAN MASTRICHT (*s*), JO. MAR-

(*m*) Tetigimus jam hæc in diſſ. 2. Anti-Bælianâ p. 10. in notâ. (*n*) in diſſ. 2. Anti-Bælianâ p 5. & ſeqq. ubi & allegavimus caſum conſcientiæ à JO. ADAMO OSIANDRO in Theol. caſuali ventilatum, *an illibatâ conſcientiâ doceri poſſit, perſonam in divinis dicere tantùm aliquid negativi?* (*o*) in Theologiâ pacificâ p. 199. ſeqq. & illius appendice p. 95. ſeqq. itemque in Theol. pacif. defenſâ p. 3‧9. ſeqq. 389. ſeqq. Cæterùm WITTICHIUS, uti alii Theologi Carteſiani, ſuppoſitalitatem in mero negativo ponit. (*p*) in erotem. illuſtr. Dec. X. erot. X. p. 321. ſeqq. (*q*) in doctr. fœd. Vol. 2. P 4. C. 16. Loco 19. §. 15. 17. p. 526. 527. & in ſcriptis MARCKIO oppoſitis, quæ recenſentur in Bibliotheque Univerſelle T. 7. p 390. ſeqq. & in H. L. BENTHEMII Holländ. Kirch- und Schulen Staat. P. 2. C. 2. p. 97. ſqq. (*r*) de abuſu Philoſophiæ Carteſianæ in rebus Theologicis & fidei §. 122. n. 47. in indiculo præcipuarum controv. Theol. qu. 145. ſeqq. & in annot. ad Syſt. Theol. L. IX. §. 12. ſeqq. (*s*) in gangrænâ novitatum Carteſianarum p. 524. ſeqq.

Digitized by Google

CKIO (*t*), JO. ADAMO OSIANDRO (*u*) & ZACH. GRAPIO (*x*), niſi quidem, quod exiſtimamus, in meram λογομαχίαν res abeat Virique illi clariſſimi ſtatuant, perſonam divinam ita aſſumſiſſe humanam naturam, ut perſonæ divinæ ſic συνθέτῳ extrinſeca ſaltem denominatio τῆς θεανθρωπικῆς, non intrinſeca quædam mutatio vel augmentatio acceſſerit. Etenim, quis neſcit, perſonam Θεανθρώπου & à veteribus & à recentioribus orthodoxis vocari quoque σύνθετον, *compoſitam*, etſi, quæ ſimpliciſſima eſt, quæ & à parte rei idem cum naturâ divinâ eſt, nullam prorſus compoſitionem admittat, utpote quæ imperfectionem, quæ mutationem in illâ argueret. Σύνθετος enim eapropter ſaltem dicitur, quia humanam quoque naturam in ſui communionem admiſit, aſſumſit & recepit, & quia divina & humana natura in eâ ſubſiſtunt, illa πρώτως, hæc δευτέρως, illa per ſe, hæc per gratiam. Et hîc quidem de perſonâ συνθέτῳ iterum conferri meretur, qui veterum loca conglomeravit, DION. PETAVIUS (*y*).

§. IX.

Ad quartam Theſeos noſtræ probationem pedem promovemus, ubi diximus, naturam Chriſti humanam eapropter quoque ἀνυπόστατον eſſe, quoniam divina natura in hypoſtaſi humana ſubſiſtere non poſſit. Nec enim hypo-

(*t*) in ſcriptis BRAUNIO oppoſitis, quæ locis citatis recenſentur. (*u*) in collegio conſiderationum in dogmata Theologica Carteſianorum C. 18. th. 2. p. 345. ſeqq. (*x*) in Chriſtologiâ recens controverſâ qu. 3. (*y*) de incarn. L. III. C. XII. §. 4. ſeqq. C. XIV. ſeqq. ubi prolixiſſimè de perſonâ συνθέτῳ agit & argumenta, quæ contra terminum hunc militant, refellit. Adjungi tantiſper poteſt THOMAS AQUINAS in ſummæ Theologicæ P. 3. qu. 2. art. 4. qui itidem argumenta contraria ſolvit.

Digitized by Google

hypoſtaſin ſuam perdere illa poteſt, quia aliâs & ipſa periret, nec, uti jam vidimus, hypoſtaſis divina & humana in unam coaleſcere poſſunt nec hypoſtaſis finita divinitatis infinitæ fulcrum eſſe poteſt. Valet hîc canon metaphyſicus: *finitum infiniti capax eſſe non poſſe.* Nec eſt, quòd oggeras, ſi idiomata humana divinæ naturæ poſſint communicari, communicari & illi humanam ὑπόστασιν poſſe. Alia enim prorſus idiomatum ac ὑποστάσεως ratio eſt, quæ non attributum ſed τρόπος ὑπάρξεως eſt, qui ſubſtantiam, quam afficit, ultima τὸ perficit, terminat & actuat. Quomodo autem ſubſiſtentia humana divinam naturam actuare & perficere poſſit, concipi haud poteſt. Ut taceam, idiomata humana divinæ naturæ ſaltem deodecibiliter *appropriari*, quæ appropriatio ἰδιοποίησις & οἰκείωσις vocatur. Jam verò &, niſi hypoſtaſis divina carni Chriſti communicata ſit, neque naturarum neque idiomatum neque apoteleſmatum communio facta eſſe cogitari poteſt, cùm hypoſtaſeos communicatio reliquarum communicationum fundamentum & origo ſit.

§. X.

In argumento quinto ad confirmationem ſententiæ noſtræ prolato affirmavimus, humanam Chriſti naturam ante unionem cum divinâ haud exſtitiſſe, ſed in primo exiſtentiæ ſuæ momento ſtatim cum divinâ unitam atque in hypoſtaſin illius aſſumtam fuiſſe, ex quo rurſus ſequitur, humanam Chriſti naturam in ſe eſſe ἀνυπόστατον (z). Notandum hoc eſt contra Eutychen, qui, ubi poſt unitionem ex duabus naturis unam contemperatam & incarnatam eſſe dixit, ſubinnuit, naturam quo-

(z) Latiùs hoc diducit JO. GERHARDUS loc. Theol. de Chriſto §. 112. quem prorſus conſule. Adde tamen & MART. CHEMNIT. de duabus naturis in Chriſto C. 6. §. 9. f. 34.

que humanam ante unitionem jam exſtitiſſe. Aliter profectò Partes Orthodoxi, Orientales & Occidentales, quorum loca magno numero heic iterum dat PETAVIUS (*a*), digniſſima ſanè, quæ evolvantur. Et rectè quidem illi, cùm conceptio humanæ Chriſti naturæ ante ſuperventum Spiritûs S. & virtutis altiſſimi obumbrationem (*b*) fieri nequiverit. Si verò humana Chriſti natura (*c*) nunquàm ſeorſim exſtitit, quid eſt, quæſo, quòd exiſtimes, ipſi ἀνθυπαρξίας competere?

§. XI.

Sexti argumenti noſtri vim ſaltem tangimus, ubi dicimus, haud affirmari poſſe, quòd hypoſtaſis divina hypoſtaſin humanam abſorpſerit, id quod cauſſari forſan quis poſſet. Ut enim taceamus, repetendum hîc eſſe, quod modò poſuimus, humanam naturam ante unitionem cum Verbo haud exſtitiſſe, contradictionem involvit, unam hypoſtaſin ab aliâ jugulari, cùm hypoſtaſis ultimatam ſubſtantiæ *ex ordinatione divinâ* terminationem dicat (*d*). Addimus alia abſurda hinc manantia. Ita humana natura fruſtra cum propria perſona eſſet crea-

(*a*) de incarn. L. II. C. 1. §. 7. L. III. C. 13. §. 2. 3. L. IV. C. 2. §. 9. 10. 11. L. V. C. 6. §. 6. ſeqq. C. 7. §. 10. Adde MICH. LEQUIEN ad Damaſcenum T. 1. f. 205. in notâ. Certè GREGORIUS NAZ. in epiſt. 1. ad Cledonium Presbyterum tàm rigidus eſt, ut eos anathemati ſubjiciat, qui hîc errant. En verba ipſius, quæ latina damus: *Si quis dicit, formatum fuiſſe hominem, deinde ſubingreſſum eſſe Deum, is ſit damnatus. Hoc enim nequaquàm generatio ſed generationis eſt fuga.* Atque hæc ipſa adverſus Apollinarium dicuntur. (*b*) Luc. I. 35. Confer JO. DAMASCENUM in diſſ. contra Neſtorianos §. 1. editionis novæ T. I. f. 555. 556. (*c*) Granum ſalis hîc tamen adjicit J. A. SCHERZERUS ad brev. Hülſem. enucl. p. 377. (*d*) Hinc & cum grano ſalis ſunt capienda, quæ in diſſ. 2. Anti-Bæliana notâ (*b*) n. II. p. 11. 12. diximus.

creata, quam ſtatim fuiſſet amiſſura. Ita ſequeretur porrò, hominem, qui nunc eſt Chriſtus, aliquando non fuiſſe Chriſtum. Ita ſequeretur denique, beatam Virginem non eſſe θεοτόκον, quia generatio ipſius terminata fuiſſet ad purum hominem tùm in naturâ tùm in perſonâ. Sic ratiocinantur, nec malè quidem, Scholaſtici (e).

§. XII.

Succedat argumentum ſeptimum, humanam Chriſti naturam ad complendum θεάνθρωπον divinitùs ordinatam fuiſſe. Quod verò ordinatur ad aliud complendum, illud eſt ἀνυπόστατον & αὐθυπαρξίᾳ caret. En quid ajat RUSTICUS DIACONUS in diſputatione contra Acephalos, qui de Chriſti humanitate diſſerens, *ob hoc*, inquit, *eam creavit, non ut ſua ſed ut ejus eſſet, & ſuper ſemetipſo eam fundavit tanquàm ſuper baſin quandam vel fundamentum, ut vera dicam, ut per eam perficeret propoſitam ſua immenſa largitati pulcherrimam diſpenſationem. Igitur non omnis individua natura perſona eſt, ſed illa omnis, quæ non ad hoc creatur, ut alteri inſeparabiliter unita permaneat. Nam & humanum corpus non eſt alterius perſona ab animâ ſuâ* (f). Nec eſt, quòd dicas, divinam quoque τῦ λόγυ naturam ita ordinatam eſſe ad conficiendum θεάνθρωπον, ut naturali ſuo niſu hùc feratur. Id enim falſiſſimum eſt, cùm nulla Filium Dei neceſſitas impulerit ad ſe incarnandum & incarnatio liberrimæ voluntatis opus in ipſo fuerit.

§. XIII.

Octavo loco diximus, in naturâ characteriſatâ factam fuiſſe unionem perſonalem, unde rurſus conficitur, humanam naturam, quæ cum divinâ characteriſata

(e) Vide ante alios JO. GABR. BOYVINII Theologiam Scoti P. 2. p. 131. 132. (f) Bibl. Patr. T. 4. col. 816. E.

Digitized by Google

riſatâ unita fuit, ipſam ſubſiſtentiæ propriæ charactere haud gaudere poſſe. Res clara eſt, cùm ſubſiſtentiarum ultimatarum diverſitas unionem perſonalem tollat. Jam verò ubi hæc ponimus, miramur oppidò, quî tanto cum fervore quæri hactenùs potuerit: *Num unio facta fuerit in naturâ vel perſonâ?* Sunt Patres, ſunt Scholaſtici, ſunt ex Reformatis, ſunt ex noſtris, qui mox ſic, mox aliter pronunciant, mox hùc, mox illùc inclinant. Noſtri tamen in naturâ & perſonâ factam ajunt communiter unionem eſſe & quidem ex vero. Sed res ad λογομαχίαν redit. Qui enim negant, unionem in naturâ fieri, intelligunt naturam divinam, prouti omnibus in Trinitate perſonis eſt communis, exiſtimantque, unionem ſaltem in naturâ, mediante perſonâ, hoc eſt in naturâ characteriſatâ fieri. Atqui nîl amplius volunt, qui affirmant, unionem in naturâ fieri, ut adeò longam litem nectere heic opus planè haud ſit. Conferri poteſt, qui eruditè hoc argumentum pertractavit, Theologus olim Helmſtadienſis HENRICUS RIXNERUS in diſputatione Theologicâ *de incarnatione Filii Dei, utrum in naturâ, an perſonâ ejus, an in utrâque terminetur?* (g) ubi facilis eſt reſponſio, terminari in perſonâ immediatè, in naturâ mediatè, Communicationem enim naturarum præcedit communicatio hypoſtaſeos, & communicatâ hypoſtaſi divina communicatur quoque natura divina, quæ cum hypoſtaſi à parte rei eſt unum idemque. Aſt pergimus.

§. XIV.

Nonum, quod poſuimus, eſt, Λόγον ſive Filium Dei, etſi naturam humanam individuam & ſingularem aſſumſerit, tamen non aſſumſiſſe perſonam (h). Quod ſi ita

(g) Helmſt. 1676. 4. Reſpondente *Frid. Oppermanno.* (h) Vid THOMAM AQU. in Summa P. 3. Qu. 4. art. 2.

Digitized by Google

ita ſe habet, utique, natura humana ut ſit ἀνυπόςατος, neceſſe eſt. Nec eſt, quòd opponas, Λόγον tamen humanam naturam ſingularem aſſumſiſſe, non univerſalem, prouti quidam Patres olim exiſtimavere, quorum ſententiam enarrat PETAVIUS (*i*). Jam enim ſubſtantia ſingularis ſine ſubſiſtentiâ ſuppoſitante, ſine hypoſtaſi & imperſonalis eſſe poteſt. Quid, quòd tàm accurati fuere veteres, ut veriti ſint, dicere, quòd *Λόγος hominem* aſſumſerit, contenti dixiſſe, quòd humanam naturam aſſumſerit & quòd Deus fuerit homo factus. Ita ſanè CYRILLUS, *non aſſumtum eſſe hominem* dicit *à Deo Verbo, ſed illum potiùs hominem eſſe factum*. Ita alii (*k*), ne Neſtorio frigidam ſuffunderent. Ita maximè FELIX, Epiſcopus Romanus in Epheſinâ Synodo, quem & citat THOMAS AQUINAS, qui itidem affirmat, propriè dici non poſſe, quòd *Λόγος hominem* aſſumſerit, quia vox *homo* perſonam quoque involvat (*l*). Alibi notavimus, dicam Neſtorianiſmi eapropter ſcriptam fuiſſe CLEMENTI XI. Pontifici nuper Romano, quòd affirmaverit, *Dominum ſub ſpecie ASSUMTI HOMINIS divinitatem ſuam occultâſſe* (*m*). Aſt nimius hic rigor eſt, cùm & Patres ſubinde Φράσει iſtâ utantur. Ita Concilium Toletanum VI. Can. I. *Solus Filius ſuſcepit HOMINEM in ſingularitatem perſonæ, non in unitatem divinæ naturæ, hoc eſt, in id,*

(*i*) de Trin. L. IV. C. IX. §. 12. ſeqq. & de incarn. L. V. C. V. per totum. Scilicet Filius Dei humanam naturam non aſſumſit abſtractam ab omnibus individuis nec prout eſt in omnibus individuis ſed individuam & ſingularem. Adde THOMÆ AQU. Summam P. 3. Qu. 4. art. 4. 5. (*k*) Vide rurſus PETAVIUM de incarn. L. II. C. I. §. 7. & L. IV. C. 1. §. 6. (*l*) Summ. P. 3. Qu. 4. art. 3. (*m*) ad Corpus doctrinæ Moralis Sorbonicum p. 8. & in diſſ. 2. Anti-Bæl. notâ (a) p. 9. in ſubnotâ.

Digitized by Google

id, quod proprium eſt Filii, non, quod commune eſt Trinitati. Ita & ANSHELMUS Cantuarienſis L. II. cur Deus homo? C. XVI. *De maſſâ peccatrice & humano genere, quod totum infectum erat peccato, HOMINEM ſine peccato, quaſi azymum de fermentato Deus aſſumſit.* Jam verò hæc ipſa eapropter non ponimus, ut CLEMENTIS XI. cauſſam agamus, ſed ut cauſſam JO. BRENTII noſtri adverſus ROB. BELLARMINUM defendamus, qui L. III. de Chriſto C. I. Theologum præſtantisſimum Neſtorianiſmi accuſavit, quod ſcripſit, *Filium Dei* hominem *aſſumſiſſe.* Scilicet piè exponenda Φράσις eſt, micâ ſalis orthodoxi adſperſâ, quæ hæc eſt, per *hominem* hîc non perſonam ſed naturam humanam intelligendam eſſe. Unde nec imitanda hæc locutio eſt, quæ durior eſt, gravisſimis Theologis ita monentibus, GERHARDO (*n*) & BROCHMANDO (*o*). Nec regeri poteſt, accuratas tamen eſſe has propoſitiones perſonales, *Deus factus eſt homo, Deus eſt homo, Chriſtus eſt Deus perfectus & homo perfectus*, & quæ

(*n*) in diſput. Iſagog. 9. C. 6. §. 28. Adde tamen Loc. Theol. de Chriſto §. 82. 83. 95. 120. (*o*) in Syſt. Theol. T. 1. art. 15. C. 6. ſect. 2. qu. 2. Adjungi poteſt JO. PAULI HEBENSTREITI, Theologi olim Jenenſis diſſ. Theol. de unione perſonali th. 2. §. 9. p. 14. Maximè verò conſuli hîc velim JO. HULSEMANNI reſp. ad append. Calixti, ad calcem dialyſ. apolog. p. 384. 385. KILIANI RUDRAUFFII Philoſ. Theol. p. 93. 94. ubi quæſtio hæc: *an λόγος aſſumſerit hominem vel humanam naturam?* pro λογομαχίᾳ declaratur, JO. AD. SCHERZERI Brev. Theol. Hülſem. enucl. p. 371. 377. ubi Φράσις de aſſumtione *hominis* defenditur, quam & ex Patribus tennere Auguſtinus & Hieronymus, & ex noſtris BALTH. MEISNERUS, G. CALIXTUS, PET. HABERKORNIUS, quos ex RUDRAUFFIO jam citavimus in diſſ. 2. anti-Bæl. l. c.

quæ ejuſmodi ſunt. Dicitur enim utique homo, quia & tanquàm homo ſubſiſtit, licet in alienâ hypoſtaſi ſubſiſtat, quæ humanæ naturæ communicatur. Jam ad ultimum argumentum, quod propoſuimus, citato gradu ferimur.

§. XV.

Quod modò inſinuavimus, hypoſtaſin divinam humanæ Chriſti naturæ eſſe communicatam, decimum nobis pro ejuſdem ἀνυποστασίᾳ argumentum fundit. Scilicet humana Chriſti natura non ſaltem ſuſtentatur ab hypoſtaſi divina, non ſaltem aſſumta eſt in hypoſtaſin divinam, ſed hæc ipſa illi quoque eſt communicata. Quod ſi ita eſt, uti re vera ita eſt, humana natura eſt ἀνυπόστατος, niſi dicere malis, duabus eam hypoſtaſibus, divinâ & humanâ gaudere, quod abſonum eſt. Jam verò non opus eſt, ut operam prolixam in probatione antecedentis inſumamus. Conſulat, qui volet, illuſtrem Theologum, ABRAHAMUM CALOVIUM, qui longum rationum ſyrma ad probandam hanc theſin nectit (p). Id unum probè tenendum; communicationem hanc juxta noſtros non factam eſſe κατὰ ῥῆμα ſaltem nec κατὰ παράθεσιν, παράστασιν, σχέσιν, μετοχὴν, ἐνοίκησιν, ἀναφορὰν, vel κατ' ἀξίαν, ὁμοτιμίαν, ὁμωνυμίαν, εὐδοκίαν, ἁρμονίαν aut ταυτοβουλίαν atque ἐνέργειαν tantùm; nec κατὰ συνεκδοχὴν vel μέρος ſaltem vel κατ' ἀλλοποίησιν aut ἔκπλωσιν, ἔκχυσιν, μετέκβασιν, μῖξιν, σύγχυσιν, ἀλλοίωσιν, μέθεξιν, ἐξίσωσιν aut ἐνύπαρξιν, nec eſſe παραχωρητικὴν nec προσωπικὴν, non externam, non titularem, non verbalem, non metaphoricam, non ſynecdochicam, non naturalem, non eſſentialem, non moralem, non myſticam, non ſacramentalem, ſed perſonalem, ſed realem,

D quæ

(p) in Syſt. Theol. T. VII. p. 204. ſeqq. & in tractatu de perſonâ Chriſti θεανθρώπου p. 118. ſeqq.

quæ facta ſit κατὰ σύνθεσιν vel συνδύασιν περιχωρητικὴν, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, ἀδιαλύτως, ἀδιασπάστως, ἀδιαστάτως, ἀναλλοιώτως, non ita, ut hypoſtaſis divina naturæ humanæ extrinſecus ſaltem aſſiſtat, uti veſtis unitur cum homine, qui eam induit, vel, uti Deus unitur cum homine, quem gratioſè inhabitat, nec ita, ut conſenſus ſaltem voluntatum in divinâ & humanâ naturâ ſit, nec, uti eſt unio inter ſurculum & arborem, animam & corpus (*q*) panem benedictum & Corpus Chriſti, vinum & aquam, quando miſcentur, ſubſtantiam & accidens, genus & ſpeciem &, quæ ejusmodi ſunt, neque hâc quoque ratione fuiſſe communicatam hypoſtaſin, ut divinâ naturâ exciderit & in humanam fuerit transfuſa, ut cum hâc mixta fuerit, ut huic inhæreat, ut hanc divinæ exæquet, ſed ita factam eſſe, ut humana natura in ipſâ ſuſtentetur perſonaliter idiomatumque divinorum & actuum perſonalium, exceptis actibus λόγου perſonalibus ad intra, qui ab æterno fiunt, evadat particeps, inconfuſis licet naturis, proprietatibus, actibus, ubi unaquæque natura retinet, quod ſuum eſt, quâ ratione in Chriſto quidem eſt ἄλλο καὶ ἄλλο ſed non ἄλλος καὶ ἄλλος. Jam & hypoſtaſis divina ubi humanæ naturæ communicatur, huic ſaltem dein δευτέρως, κατ' ἄλλο & per gratiam competit, λόγῳ πρώτως, καθ' αὐτό, οὐσιωδῶς & per naturam, ita tamen, ut verè dici poſſit debeatque, hypoſtaſin divinæ naturæ factam eſſe hypoſtaſin humanæ naturæ, & utriusquæ naturæ ὑπόστασιν σύνθετον Chriſtumque ex duabus naturis diverſis, quarum una ſit ἰδιοϋπόστατος, altera ἐνυπόστατος, *comperſonatum* eſſe, quod Patres unanimi conſenſu efferunt (*r*). Denique & facta eſt hæc hypoſtaſeos

(*q*) Hinc influxus quidem divinitatis in humanitatem ſed non reciprocus, uti nec περιχώρησις reciproca, nullatenus autem divina natura cauſa occaſionalis actuum humanæ naturæ, ne per harmoniam quidem præſtabilitam, ſtatui debet. (*r*) Vide PETAVIUM de incarnat. L. III C. XIII.

Digitized by Google

ſeos communicatio ad communem denominationem, poſſeſſionem & uſurpationem, id quod noſtri ſolicitè inculcant, qui & addunt, ita ὑπόςασιν divinam communicatam eſſe carni, ut non ſit extra carnem & ut Chriſtus quoad humanam quoque naturam verus, proprius & naturalis Dei Filius perſonaliter ſit. Quod reſtat, & Theologi Reformati magno numero fatentur, humanam naturam à divinâ ſuſtentari perſonaliter & hypoſtaſin divinam humanæ naturæ eſſe *communicatam*, &, quando hoc negant, eam ſaltem communicationem, quæ per transfuſionem fit & inhæſionem mutationemque humanitatis eſſentialem infert humanitatemque divinitati coëxæquat, quamque & noſtri inficiantur, negant (s).

§. XVI.

Rebus itaque ſic ſtantibus & peroratâ ſatis cauſſa, convenit utique humanæ Chriſti naturæ ἀνυποςασία, hoc eſt, humana Chriſto natura eſt imperſonalis, non eſt perſona, ſubſiſtentia propriâ ultimatâ & ſuppoſitante haud gaudet ſed ſubſiſtentiâ alienâ, τȣ̃ Λόγȣ nempe, in quam aſſumta, quæ illi communicata eſt. Notanda verò probè hæc orthodoxorum poſitio eſt tùm contra Neſtorianos tùm contra Eutychianos. Contra illos quidem, quòd duas in Chriſto perſonas ſtatuiſſe dicuntur, contra hos verò, quòd hypoſtaſin cum naturâ confundentes, quia una in Chriſto θεανθρώπῳ ſtatuitur ὑπόςασις, unam quoque naturam ſaltem in Chriſto affirmârunt. En verò, quî orthodoxia ſanior mediâ hîc viâ vadat &, vitatâ ex unâ parte Neſtorianiſmi Scyllâ, vitatâ & ex alterâ parte Eutychianiſmi Charybdi, duas in Chriſto naturas unâ eâdemque divinâ ὑποςάσει gaudentes confitea-

D 2

(s) Confer omninò ABR. CALOVII examen doctrinæ Reformatorum de perſonâ Chriſti p. 118. ſeqq.

Digitized by Google

teatur (*t*). Nec eſt, quòd dicas, ſic humanam Chriſti naturam non fore ſubſtantiam, ſi hypoſtaſi propriâ careat. Etſi enim illa reſponſio, quam PETAVIUS ex Patribus dat (*u*), haud accurata ſit, humanam naturam, licet non ſit ἀνυπόστατος & ἰδιοσύστατος, tamen eſſe ἐνυπόστατον, hoc eſt, in hypoſtaſi quâdam licet alienâ ſubſiſtere, tamen alia adhuc reſponſio datur, quæ nodum illicò ſolvit. Jam enim aliud eſt ſubſiſtentia ſubſtantificans, aliud ſuppoſitans, uti centies ingeminamus. Illud ſubſtantia dici nequit, cui prior deeſt, quam verò humanæ Chriſti naturæ deeſſe nemo ſomniaverit, cui ſaltem hypoſtaſis, id eſt ſubſiſtentia ſuppoſitans deeſt, ſine quâ utique ſubſtantia conſiſtere poteſt, uti exemplo animæ rationalis liquet, quæ non eſt perſona metaphyſica (*v*). Aſt facilia hæc ſunt & quæ vel tyro metaphyſicus diluerit, licet PETAVIUS diluere hæc haud valuerit & jejuna valdè heic garriat, utpote qui myſteria Scholaſtica & metaphyſica per tranſennam ſaltem inſpexit. Difficilior illa eſt objectio, ubi dicitur, ſic Chriſtum non fore hominem perfectum, ſi humana ipſius natura ſit ἀνυπόστατος & humanâ ſubſiſten-

(*t*) Confer omninò PETAVIUM de incarn. L.V. C.7. ubi datâ operâ tractatur quæſtio: *an natura humana Chriſti proprium aliquem ſubſiſtendi modum habeat?* (*u*) de incarn. L.V. C. 8. §. 1. ſeqq. Scilicet malè ſupponit poſt Patres PETAVIUS, id, quod in nullâ ſubſiſtat hypoſtaſi, ſubſtantiam non eſſe. (*v*) Mirum, negari hoc à CHRIST. WITTICHIO, FR. BURMANNO, JO BRAUNIO aliiſque Theologis Carteſianis. Confer JO. AD. OSIANDRUM in Collegio conſider. in dogm. Theol. Carteſ. C. 18. th. 1. p. 338. ſqq. Sed verò & hæc lis ad λογομαχίαν abit. Vide, quæ ſcripſimus in ſchediaſmate orthodoxo de morte naturali §.8. p. 28. 29. Vide &, quæ habet PETAVIUS de incarn. L.XII. C. 20. ubi contra HUGONEM VICTORINUM diſputat. Adde QUENSTEDII Syſt. Theol. P. 3. f. 416. & BALTH. MEISNERI Quæſt. vex. II. §. 17. n. 1. p. 43.

Digitized by Google

ſtentiâ careat. At verò & hæc objectio cadit, ſi conſideres, ad perfectionem ſubſtantiæ vel eſſentiæ ſubſiſtentiam ultimatam haud requiri. Sufficit heic, Chriſtum eſſe hominem completum *in eſſendo* (w). Faciliùs ſeſe expediunt, qui cum Scotiſtis & Carteſianis ajunt, ſuppoſitalitatem non conſiſtere in modo quodam entitativo & poſitivo ſed in negatione atque denominatione merâ externâ, quod, ſi quis ad creatas hypoſtaſes reſtringat, à nobis quidem in hæreticorum numerum haud referetur (x). Sed verò urgetur porrò, ſi λόγος aſſumſerit humanam naturam ἀνυπόστατον, Chriſtum non eſſe ſimilem nobis quoad carnem κατὰ πάντα, ſolo excepto peccato, id quod militet contra Hebr. II. 14. 17. IV. 15. Et ſanè, ſi Chriſtus homo ſubſiſtentiâ humanâ careat, Chriſtum non eſſe ſimilem nobis κατὰ πάντα rectè forſan arguat quis. Aſt, cùm, uti jam diximus, ſubſiſtentia ad perfectionem hominis eſſentialem haud requiratur, cùm & contradictionem implicet, duas ſubſiſtentias ultimatas unam perſonam efficere, vel unam ſubſiſtentiam ab alterâ aſſumi, facilè patet, ſimilitudinem illam, quæ in Epiſtola ad Ebræos memoratur, de naturâ ſaltem, non de perſonâ humanâ eſſe explicandum, cùm aliâs Chriſtus quoque dici debeat factus eſſe ſimilis κατὰ πάντα omnibus individuis, Petro, Paulo &c. quod ἄτοπον. Denique & opponi poſſet canon ille communis: *Quod λόγος non aſſum-*

(w) De perfectione humanæ Chriſti naturæ vide PETAVIUM de incarn. L. V. C. 11. 12. Aſt vel maximè conferendus hîc eſt JOACH. LUTKEMANNUS in diſſ. Phyſico-Theol. de vero homine, ubi p. 46. ſeqq. contra Photinianos diſputat, *utrum quis homo eſſe poſſit ſine humanâ ſubſiſtentiâ?*

(x) Vide diſſ. 2. Anti-Bælianam p. 10.

aſſumſit, non ſanavit (y). Si ergò perſonam humanam non aſſumſit, illam non ſanavit. Quid verò de hoc argumento dicendum ſit, cùm alibi (z) jam enarraverimus, non opus eſt, dicta heic repetere. Jam verò omnibus hiſce ſubtilitatibus & altis evolutionibus acroamaticis ſimplicitas fidei opus non habet, quæ miſſis ſpretisque his omnibus ἀκριβασμοῖς λόγων humanam ſibi naturam intimè copulâſſe & ita hominem atque θεάνθρωπον factum eſſe ait. Et ſic nunc ad caput ſecundum pergimus.

(y) Vide loca Patrum, ex quibus hic canon erutus eſt, apud PETAVIUM de incarn. L. V, C. XI. §. 11. ſqq. Notum eſt illud GREGORII NAZIANZENI in Ep. 1. ad Cledonium: Τὸ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον. Hinc ad Scholaſticos Canon hic, poſt ad noſtros manavit. (z) Vide diſſ. 2. Anti-Bælianam p. 9. 10. in notâ.

CAPUT SECUNDUM

de perpetuitáte humanæ Chriſti naturæ.

§. I.

NEmo eſt, qui facilè dubitet, an Chriſtus perpetuò homo manſurus ſit. Nec in dubium hoc vocare poteſt, qui recogitat, Chriſti, Mediatoris Θεανθρώπου æternum eſſe & regnum 2. Sam. VII. 16. Jeſ. IX. 7. Jer. XXXIII. 17. Dan. VII, 14. Mich. IV. 7. Pſalm. LXXXIX. 5. 36. 37. 38. Luc. I. 32. 33. Apoc. XI. 15. & ſacerdotium Pſ. CX. 4. Hebr. V, 6, VI. 20.

VII. 13. 16. 17. 21. 24. 25. 28. IX. 14. X. 12. 14. & officium quoque Propheticum (a), ſecundùm quòd Chriſtus in alterâ vitâ immediatè & perfectè beatos per viſionem beatificam atque intuitivam illuminabit, reſurrexiſſe eum ex mortuis, aſcendiſſe in cœlos, ſedere ad dextram Dei & ut Θεάνθρωπον rediturum eſſe ad judicium Dan. VII. 13. ſeqq. Matth. XXV. 31. ſqq. Joh. V. 22. 27. Act. I. 11. XVII. 31. Scilicet Chriſtus ſemper futurus eſt noſter Mediator, Sacerdos, Rex, Caput, Goël Job. XIX. 25. ſqq. Frater, Sponſus. Ille Θεάνθρωπος eſt χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας Hebr. XIII. 8. Ille ut θεάνθρωπος vivit & ſecundùm humanam naturam, juxta quam reſurrexit, in æternum Apoc. I. 18. Ipſi tanquàm θεανθρώπῳ & agno laudes εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων canuntur 1. Pet. IV. 11. V. 11. Apoc. I. 6. IV. 9. 10. V. 13. 14. Et hæc ſunt dicta ſcripturaria, ex quibus perpetuitas humanæ Chriſti naturæ eluceſcit.

§. II.

Nec minùs confirmat eam traditio Eccleſiaſtica. Etenim Concilium Chalcedonenſe ait, unionem perſonalem factam quoque eſſe ἀδιαιρέτως & ἀχωρίστως, ſiv ἀδιαλύτως & ἀδιασπάστως, hoc eſt, *inſeparabiliter*, ita ut humana natura à divinâ amplius divelli haud poſſit, ſed una alteri ſemper juncta maneat. Pertinet hùc canon ille, qui Patribus communiter adſcribitur: QUOD CHRISTUS SEMEL ASSUMSIT, NUNQUAM DIMISIT vel DEPOSUIT, id quod de naturâ in ſe, non de infirmitatibus ipſi adjacentibus, non de formâ ſervili intel-

(a) Apoc. VII. 17. XXI. 22. 23. Vide hîc prorſus ABR. CALOVIUM in Syſt. Theol. T. VII. p. 549. 550. & F. TURRETTINI inſtit. Theol. elenct. L. 14. Qu. 17. §. 7. p. 536. Adde tamen J. A. OSIANDRI diſp. de interceſſione Chriſti & Spir. S. Qu. 3. p. 17.

intelligendum granumque ſalis quoddam hîc adſpergendum eſſe, quivis videt. Accedunt teſtimonia Patrum luculentiſſima. Ita ſanè GREGORIUS NYSSENUS, cujus digna ſunt verba, quæ adponantur: *divinitatem & ante carnem & in carne & poſt paſſionem eodem modo ſe habere ſemper, ut, quod erat naturâ, perpetuò ſit & in æternum maneat, quæ in humanæ naturæ perpeſſione pro nobis diſpenſationem implevit, cùm ad tempus animam à corpore diſjunxit, adeò ut ab neutro eorum, quibuſcum miſta fuerat, ſejuncta fuerit, & rurſus diſſociata conjunxerit.* Hæc GREGORIUS (*b*), qui & in epiſtolâ ad Euſtathiam & Ambroſiam in eandem ſententiam fatur (*c*). Eodem modo & ATHANASIUS carnem Chriſti à divinitate indiſſolubilem eſſe profitetur. Ut enim ea loca, quæ PETAVIUS (*d*) affert, taceamus, expreſſè ſub finem libelli de incarnatione Verbi Dei contra Paulum Samoſatenum ATHANASIUS Chriſtum fatetur οὐδὲ παυσάμενον τοῦ εἶναι υἱὸς ἀνθρώπου οὐδὲ ἀποθέμενον τὴν σάρκα, *nunquam deſinere eſſe Filium hominis vel carnem deponere.* Idem de humanâ naturâ Verbi contra Arianos & Apollinarium *carnem in cælum aſcendiſſe* ait, & de incarnatione Chriſti contra eundem τὴν σάρκα τοῦ Λόγου vocat ἰδίαν & ἀδιαίρετον. Adjungi meretur MAXIMUS Confeſſor aut THEODORITU in dialogo IV. de SS. Trinitate, qui ATHANASIO aliàs adſcribitur, ubi extat: ὃ ἑνώσας οὐκ ἀφῆκεν. QUOD UNIVIT, NON DIMISIT. οὕτω γὰρ ἐλεύσεται, ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ, ὄψονται, εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. Act. I. 11. Joh. XIX. 37.

Ma-

(*b*) Orat. 2. contra Eunomium, Opp. T. 2. f. 483. 484. edit. Pariſ. 1638. (*c*, Opp. T. 3. f. 659. (*d*) de incarn. L. XII. C. 19. § 5. Deſumta ſunt illa loca ex oratione ATHANASII de ſalutari adventu Jeſu Chriſti adv. Apollin.

Digitized by Google

Maximè verò pertinent hùc, quæ apud GREGORIUM NAZIANZENUM & JOANNEM DAMASCENUM exſtant. En quid ajat GREGORIUS, qui ita adverſus Apolinarium (e): *Si quis dicit, Chriſtum nunc carnem depoſuiſſe divinitatemque nudam eſſe à corpore poſt aſſumtionem, nec cum carne vel eſſe vel venturum eſſe, non videat gloriam adventûs ejus. Ubinam enim nunc eſt corpus, niſi cum eo, qui illud aſſumſit? Neque enim illud juxta Manichaeorum delirium in ſole repoſitum eſt, ut, quod ignominioſum foret, ibi adoretur, nec in aërem effuſum & diſſolutum eſt, qua vocis eſt indoles, qui fluxus odoris eſt, qui curſus eſt fulguris haud conſiſtentis. Quomodo verò & palpari potuit poſt reſurrectionem, vel quomodo apparebit aliquando iis, qui ipſum confixere? Deitas enim ſecundùm ſe inviſibilis eſt. Veniet itaque iſte cum corpore* (f). Ita & JO. DAMASCENUS: *Etſi poſt reſurrectionem cibum guſtavit, non tamen id naturæ lege contigit, neque enim fame laboravit, ſed certâ diſpenſatione, ut fidem faceret, ſe verè*

E

(e) Itaque ergò Apolinarius perpetuitatem humanæ Chriſti naturæ negavit. (f) epiſt. 1. ad Cledonium Presbyterum. His contraria eſſe videntur, quæ alibi, oratione nempe 40. ad Neophyos adfirmat Theologus, ubi Chriſtum venturum eſſe dicit οὐκέτι μὲν σάρκα, οὐκ ἀσώματον δὲ, οἷς δὲ αὐτὸς οἶδε λόγοις, θεοειδεστέρου σώματος h. e. non cum carne, nec tamen incorporeum, ſed, queis modis ipſe novit, cum corpore Deo convenientiore, ut maneat Deus abſque craſſitie. Hinc per carnem, uti rectè Nicetas exponit, corruptibilis & paſſibilis caro intelligenda eſt, cum quâ utique haud redibit Chriſtus. Eodem modo locutus eſt Athenagoras. Vide LEQUIENIUM ad Damaſcenum T. 1. f. 253. 254. itemque f. 658. ubi PET. MANSUR eandem φράσιν adhibet & autoritatem GREGORII allegat. Adde JAC. BOILEAU de ſanguine Chriſti poſt reſurrect. C. VI. p. 92. ſqq. C. XI. p. 105. ſqq.

rè ad vitam rediiſſe eandemque eſſe carnem, quæ, cùm mortua fuiſſet, revixerat. Cæterùm nullam naturæ partem abjecit, non corpus, non animam. Et ſic eum ad judicium quoque rediturum idem DAMASCENUS affirmat atque Act. I. 11. hanc in rem allegat (*g*). Nec reticenda ſunt, quæ JO. CHRYSOSTOMUS ponit: *Si novimus Chriſtum ſecundum carnem, nunc tamen non novimus. Dic mihi, numquid carnem depoſuit & nunc non eſt cum corpore? Abſit. Etenim & nunc in carne eſt. Hic enim Jeſus, qui aſſumtus eſt à nobis in cælum, ſic veniet. Sic, quomodo? in carne cum corpore. Quomodo ergò ait:* Et, ſi novimus ſecundùm carnem, ſed nunc jam non novimus. *Quin &, ſi paſſibilem noveramus Chriſtum, ſed jam nunc non* (*h*). CYRILLI ALEX. ſententiam ὁμόψηφον infra quoque damus (*i*). Accedunt Canones Concilii Conſtantinopolitani A. DXLV. contra Origenem. *Si quis dixerit, Domini corpus poſt reſurrectionem fuiſſe æthereum & figuræ Sphæricæ &, quòd talia etiam reliquorum poſt reſurrectionem futura ſint corpora, & quòd ipſo Domino primùm deponente proprium ſuum corpus & omnibus ſimiliter, abibit in nihilum natura corporum, anathema ſit.* Porrò, *ſi quis dixerit, quòd futurum judicium ſignificat omnimodam corporum abolitionem & quòd finis confictæ fabulæ eſt natura expers materiæ, & quòd*

(*g*) de fide orthodoxâ L. 4. C 1. (*h*) hom. XI. in 2. Cor. Vide Concilia HARDUINI T. 4. f. 387. ubi eadem quoque CYRILLI ALEX. expoſitio verborum iſtorum adfertur: *Non autem hoc dicit Paulus, quod non ſit in carne Chriſtus.* Idem ita in epiſtolâ ad Succeſſum, quæ l. c. f. 411. allegatur: *Si ſuſceptâ ejus carne in divinitatis naturam deſiit eſſe filius hominis, liquebit utique omnibus, quòd filiorum adoptionis gloriam & nos depoſuerimus.* Et in ſequentibus ſæpiùs CYRILLUS innuit, carnem à Chriſto depoſitum non iri. (*i*) Vide notam præcedentem.

Digitized by Google

quòd in futuro nihil eorum erit, quæ conſtant materiâ, ſed nuda & ſola mens, anathema ſit (*). Denique Concilium Conſtantinopolitanum A. DCCLIV. Act. VI. hæc habet: *Si quis non confitetur, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum cum aſſumtione, id eſt, animatâ carne ſuâ animâ rationabili atque intellectuali Deo & Patri conſidere ſicque demùm venturum cum paternâ claritate ſuâ judicare vivos & mortuos, non quidem jam carnem ſed nec incorporeum, quibus ipſe novit, rationibus, Deiformi cum corpore, quo & appareat his, qui eum pupugerunt, & maneat Deus abſque craſſitudine (k), anathema.* Quæ in Concilio Nicæno II. A. DCCLXXVII. habito, actione itidem VI. prorſus approbata fuere (*l*). Tacemus alia vetuſtiorum Patrum effata, eandem ferè ſententiam efferentia, AUGUSTINI, GELASII, EPIPHANII, FULGENTII, FERRANDI, THEODORI ABUCARÆ, ALBINI, PAULINI, BERNARDI aliorumque, quorum verba PETAVIUS exhibet (*m*).

§. III.

Accedunt denique & teſtimonia Theologorum recentiorum, Romanenſium, Evangelicorum, Reformatorum, queis omnibus ἐξαγώνιον hoc eſt, Chriſtum ſemper θεάνθρωπον manſurum atque in æternitatem uſque huma-

E 2

(*) Can. X. XI. Græcam originem è codice Cæſareo primùm LAMBECIUS dedit. Eandem poſtea ſuæ Conciliorum editioni inſeruit HARDUINUS T. 4. f. 286. & nuperrimè admodùm Bibliothecæ Græcæ Vol. XI. vir celeberrimus, J. A. FABRICIUS p. 32. 33. (*k*) Sunt verba ex GREGORIO NAZ. ſupra jam data. (*l*) Vide Concilia HARDUINI T. 4. f. 423. & adde J. BOILEAU diſquiſ. Theol. de ſanguine Chriſti poſt reſurrectionem C. XIII. p. 121. ſqq. (*m*) de incarnatione L. XII. C. XVIII. XIX. ubi datâ operâ de *perpetuitate incarnationis Chriſti* agit Jeſuita celeberrimus.

Digitized by Google

manitatem ſuam ſervaturum eſſe. Ex Romanenſibus inſtar omnium nobis eſt PETAVIUS, quem jam citavimus. Ex Reformatis prodire in ſcenam jubemus FRANC. TURRETTINUM, qui ita: *Vinculum iſtud arctiſſimum* inter divinam & humanam naturam *nec ſolutum eſt unquam nec poterit in æternum ſolvi, ſiquidem, ut benè Synodi Chalcedonenſis Patres ſanciverunt, unio hypoſtatica facta eſt ἀχωρίστως καὶ ἀδιαιρέτως* (n). & JO. BRAUNIUM, qui ait, *veteres non inconcinnè unionem duarum naturarum dixiſſe factam eſſe quoque ἀχωρίστως* inſeparabiliter, *quòd natura divina & humana à ſe NUNQUAM POSSINT DIVELLI. Satis itaque,* ita pergit ille, *incautè locuti ſunt quidam veterum, qui docebant, divinam naturam humanam deſeruiſſe in morte Chriſti, quare exclamaverit,* Deus mi, Deus mi, quare me dereliquiſti (o)? Ex noſtris præ omnibus aliis datâ operâ ſententiam ſuam heic ediſſeruit CASPAR ERASMUS BROCHMANDUS, qui in Syſtemate univerſæ Theologiæ, tomo primo, articulo decimo quinto de Chriſto θεανθρώπῳ, capite ſexto, ſectione quintâ (p) de duratione aſſumtæ à λόγῳ humanitatis agit, quam, *plane æternam* eſſe ſtatuit & argumentis probat. Et verò Auguſtana Confeſſio articulo tertio de Filio Dei expreſſè affirmat, *duas naturas, divinam & humanam in unitate perſonæ INSEPARABILITER conjunctas eſſe.* Idem emphaticâ prorſus dictione effert MART. CHEMNITIUS in libello de duabus naturis in Chriſto, capitibus quarto & quinto. Loca præcipua ſunt: *Hæc unio adeò arcta, individua, inſeparabilis & indiſſolubilis eſt, ut divina natura τῦ λόγυ nec velit, nec poſſit, nec debeat extra hanc cum carne unionem ſed in arctiſſimâ illâ unione quæri & appre-*

(n) de ſatisfact. Chriſti p. 175. 177. (o) in doctrinâ fœderum vol. 2. P. 4. C. 16. loco 19. §. 19. p. 527. 528. (p) f. 298. 2.

prehendi (q). Et porrò: *Veteres ſynodi dicunt, naturas unitas eſſe in Chriſto ἀδιαιρέτως indiviſè, ut dividi vel diſtrahi à ſe in vicem non poſſint, ἀχωρίστως inſeparabiliter, ut nunquàm & nuſquàm in æternum à ſe invicem ſeparari poſſint ſed nexu inſeparabili & fœdere perpetuo copulata ſint & maneant* (r). Maximè verò tertium caput hîc conferendum eſt, cujus verba mox dabimus. Nec abludit ſanè JO. GERHARDUS in loco theol. de Chriſto §. CXIX. CXXI. ubi & ἔκθεσιν πίστεως JUSTINO M. tributam (s) allegat, in quâ unio perſonalis *ἀχώριστος* dicitur, & CXXXVIII. JO. MEISNERUS ait, humanam Chriſti naturam *in omnem æternitatem permanere*, idque ex Formulâ Concordiæ probare annititur (t). Eandem ſententiam tenet quoque in Chriſtologiâ BALTH. MEISNERUS (u), & JO. CONR. DANNHAWERUS, qui ita: *Λόγος in carne εἰς τὸ διηνεκὲς inſeparabilis eſt. Si enim μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκὲς Hebr. VII. 3. manet igitur etiam Deus & homo in perpetuum. Proprium ab eo, cujus eſt proprium, inſeparabile eſt. At caro Filii Dei propria eſt, hinc toties mea caro, ἴδιον αἷμα. Ergò à Filio Dei inſeparabilis.* (x) Repetit hæc JO. ANDR. QUENSTEDIUS in Syſtemate Theologico ad verbum (y). Addendus eſt KIL. RUDRAUFFIUS, qui ita inſit: *Unio* perſonalis *eſt æterna, à parte poſt ſc. & inſeparabilis actu & potentiâ, ordinatâ puta, quia nunquàm hâc gloriâ & majeſtate deſtituetur caro aſſumta, ejus regni gloria & majeſtas eſt æterna* (z). Ma-

ximè

(q) f. 19. (r) f. 23. (s) Non verò eſt Juſtini M. ſed Neſtoriani cujusdam, uti exiſtimat M. LEQUIEN in diſſ. IV. Damaſcenicâ n. II. ſ. LIX. ſeqq. (t) in aſſert. Theol. de quæſtione: *Num Chriſtus in triduo mortis verus homo permanſerit?* §. 32. Adde & §. 23. 26. (u) diſp. 5. th. 32. p. 39. (x) Vide Hodoſ. p. 628. & Chriſtoſoph. p. 47. Eadem utrobique verba reperias. (y) P. 3. f. 87. b. 414. 415. (z) in Philoſ. Theol. p. 95.

ximè verò veritatem hanc de perpetuitate humanæ Chriſti naturæ urget JO. GUIL. PETERSENIUS, qui & exiſtimat, humanam Chriſti naturam productam eſſe ante mundum, & eſſe medium quid inter Deum & creaturam, ſine quo nihil creari potuerit & per quod creata ſint omnia, unde & Chriſtus venturus fuiſſet, etſi homo non peccâſſet (a). Non vacat, hæc ipſa jam excutere, ne ab inſtituto noſtro digrediamur. Cæterum Theologi noſtri paſſim canonem ſupra laudatum ſuum faciunt: *Quod Chriſtus ſemel aſſumſit, nunquam depoſuit* vel *dimiſit*. (*b*).

§. IV.

Vix capi poteſt, quî exiſtere potuerint, qui perpetuitatem humanæ Chriſti naturæ negarent. Fuerunt tamen, hunc qui errorem errarent. Ecce, quid hanc in rem ὡς ἐν παρόδῳ ſcribat eruditiſſimus Theologus, MARTINUS CHEMNITIUS, cujus & verba, quoniam opus habent, notis illuſtrabimus: *Cùm hæc, quæ firmiſſimè ex ſcripturâ conſtituta ſunt, labefactari non poſſe viderentur, Eutyches cœpit fingere, naturam humanam in Chriſto per hypoſtaticam unionem prorſus abſorptam in divinitatem, ut poſt unionem una tantùm, divina ſcilicet natura fuerit in Chriſto. Quidam diſputârunt, Chriſtum aſſumtam humanam naturam tantiſper ſolùm geſtâſſe, donec opus redemtionis abſolviſſet. Ideò Origenes diſputavit, Chriſtum in*

(*a*) Vide *das Geheimnis des Erſtgebohrnen aller Creaturen von Chriſto Jeſu dem Gott-Menſchen* paſſim. (*b*) Confer. e. g. M. CHEMNITII lib de duabus nat. in Chriſto C. 5. f. 23. B. MEISNERI Chriſtolog. p. 39. quæſt. vex. p. 39. JO. MEISNERUM l.c. §. 29. JOACH. LUTKEMANNUM in diſſ. de vero homine p. 100. JO. GEORG. DORSCHEUM in Theol. Zach. p. 174. JO. ADAMUM SCHERZERUM in Syſt. Theol. p. 240. aliosque infinitos.

in reſurrectione aliam ſubſtantiam, äerei ſcilicet corporis, aſſumſiſſe (*c*). *Alii finxerunt, Chriſtum in aſcenſione tabernaculum corporis ſui depoſuiſſe in ſole, hoc eſt, in circulo, qui ſolis Zona nominatur, quia non fuerit poſſibile, ultra illud progredi* (*d*). *Tertullianus in libro de carne Chriſti inquit:*

(*c*) Et hanc quidem ſententiam Origeni tribuit Hieronymus. Nec Hieronymus ſaltem ſed & Juſtinianus Imperator in literis ad Synodum Conſtantinopolitanam, ubi ita de Monachis Hieroſolymitanis, Origenis ſectatoribus: *Affirmant etiam, corpora penitùs interire: ipſo Domino primùm, deinde reliquis omnibus ſuum corpus abjicientibus.* Vide Concilia HARDUINI, T. 4. f. 282. ubi & textus Græcus habetur. Sed aliter de Origene Euſebius, qui Pamphili Martyris nomen ſumſit. Hinc & Origenem contra ALLIXIUM defendit JAC. BOILEAU in diquiſ. Theol. de ſanguine corporis Chriſti poſt reſurrectionem C. 4. Imò & idem BOILEAU alios Patres plurimos, queis ſententiam de corpore Chriſti poſt reſurrectionem äëreo tribuit ALLIXIUS, ibidem magno conatu defenſitat & ab hoc errore liberare nititur. (*d*) Ita olim Seleuciani & Hermiani, qui negârunt, Salvatorem in carne ſedere ad dextram Patris, ſed exſpoliâſſe carnem & poſuiſſe in ſolem exiſtimârunt, quia dixerit Propheta: *in ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Ita Philaſtrius C. 55. de hæreſibus p. 110. 111. editionis, quam ante annum edidit JO. ALB. FABRICIUS. Ita & Auguſtinus de hæreſibus ad QuodvultDeum n. 59. & auctor Prædeſtinati C. 59. Eandem ſententiam Hermogeni attribuunt Eclogæ Clem. Alex. f. 808. & Theodoritus L. 1. hæret. fab. C 19. Manichæis verò Gregorius Nazianzenus epiſt. 1. ad Cledonium idemque Auguſtinus L. XX. C. 2. contra Fauſtum, qui ſcribit, ex Manichæorum ſententiâ Patrem in luce inacceſſâ, Filium in luce ſolis & lunæ & SpiritumS. in omni aëris ambitu ſedem ſuam fixiſſe, & tract. 34. in Johannem, ubi ait, Manichæos putâſſe, ipſum Chriſtum Dominum eſſe ſolem. In Catenâ Patrum in Pſalm. XVIII. exſtat, non attendendum eſſe hæreticis, οἵ φασιν, μετὰ τὴν ἀνάστασιν ὁ Σωτὴρ ἐν τῇ ἡλιακῇ σφαίρᾳ ἀπέθετο, ὃ ἐφόρει

(*e*) *inquit*: Erubeſcant, qui affirmant, carnem Chriſti in cœlis vacuam ſenſu, ut vaginam, exempto Chriſto, ſedere.

σῶμα, φυλάττεσθαι μέχρι τῆς δευτέρας παρουσίας. Neſcio verò, num hùc etiam ſpectent verſus illi Sibyllæ, quos citat Lactantius inſtit. div. L. 7. C. 19. & qui exſtant in editione SERVATII GALLÆI L. 3. p. 460.

Καὶ τότ' ἀπ' ἠελίου πέμψει θεὸς βασιλῆα,
Ὃς πᾶσαν γαῖαν παύσει πολέμοιο κακοῖο.

Obſervat JO OBSOPOEUS, legi, in codicibus MSS. ἀπ' ἠελίοιο Θεόσπεμπτον. Sed parùm refert. Sunt, qui cum hiſce componant verſum illum Virgilii in Eclogâ IV. *jam nova progenies cœlo demittitur alto*, ac ſi è throno Dei, id eſt, ex ſole proditurus eſſet Chriſtus. Atque hanc veterum Judæorum opinionem exſtitiſſe affirmat ISAACUS VOSSIUS de Sibyllinis oraculis C 5. p 45. ubi & ait, veteres Gnoſticos & Hermogenem exiſtimâſſe, Chriſtum corpus ſuum poſuiſſe in ſole, idque hauſiſſe eos ex oraculis Sibyllinis. Vide & JO. PEARSONIUM, Epiſcopum olim Ceſtrienſem Anglum in the expoſition of the Creed f. 272. 273. edit. lat. p. 482. & celeberrimum FABRICIUM ad Philaſtrium p. 110. 111. Eundem errorem Origeni olim quoque tributum fuiſſe narrat Pamphilus Martyr ſeu potiùs Euſebius, qui verò Origenem defendit. Vide HUMFREDI HODY the reſurrection of the (ſame) Body aſſerted p. 159. Conferri cum hiſce poſſunt, quæ apud CALOVIUM in Syſt. loc. Theol. T. 7. p. 709. ſqq. exſtant, ubi ita ille: *Sociniani blaſphemè nugantur*, Chriſtum corpus ſuum in aſcenſu in cœlos exuiſſe interque ſydera reliquiſſe, quòd naturâ immortale ſit. *Vide Smalcium de Deitate Chriſti C. 14. & Ref. Nov. Monſtr. p. 201. Joh. Crell. in 1. Cor. XV. p. 224. Schwenckfeldiani aſſerunt*, humanam naturam Chriſti poſt aſcenſionem in cœlum non eſſe creaturalem ſed prætercreaturalem. *Vide Schwenckfeld. l. de div. Majeſt. Weigeliani pariter contendunt*, carnem Chriſti poſt aſcenſionem deſiiſſe eſſe carnem humanam. *Vide Weigel. in Phil. Myſt. p. 221.* „ Hactenus CALOVIUS, qui dein hæc refutat & variis argumentis theſin orthodoxam de perpetuitate Corporis Chriſti ibidem adſtruit. (*e*) C. 24.

dere. *Apelles finxit, Chriſtum carnem ſuam non ex Maria carne & ſanguine ſed ex immediatâ mixtione quatuor elementorum aſſumſiſſe, quam in morte per viam reſolutionis in elementa mundo reddiderit ac ſine carne illâ aſſumtâ reſurrexerit & ad cælos adſcenderit* (f). *Apud Damaſcenum in catalogo hæreſium* (g) *vocantur* χριςολῦται, *qui fingunt, Chriſtum, quando ab inferis reſuſcitatus eſt, corpore ac animâ ibi relictis, cum ſolâ divinitate cælum ac ſuperna petiiſſe* (h). *Fuerunt etiam, qui illud 1. Cor. 15.* Tunc & Filius ſub-

F

(*f*) Autores veteres hanc in rem allegat TH. ITTIGIUS in diſſ. de hæreſiarchis ævi Apoſtolici Sect. 2. C. 8. §. 6. p. 161.

(*g*) num. XCIII. Non erat ratio, cur librum hunc JO. DAMASCENO, etſi magna pars ex EPIPHANIO petita ſit, abjudicaret LEO ALLATIUS de JOANNE DAMASCENO n. 39. ſeqq. apud MICH. LEQUIEN in proleg. f. XXIII. qui in admonitione libro huic præmiſſâ T. I. f. 75. conſuli poteſt. Locus, qui hîc à CHEMNITIO citatur, exſtat in editione JO. BAPT. COTELERII in monum. Eccl. Græcæ T. 1. p. 323. in editione verò LEQUIENII, operum Damaſceni T. 1. fol 108. Quod reſtat, magnam partem libelli Damaſceniani de hæreſibus me in codice Græco Taurinenſi, qui Euthymii Zigabeni Panopliam dogmaticam exhibet, legiſſe memini.

(*h*) Non pigebit lectorem, notam eruditiſſimi MICH. LEQUIEN, quam huic loco addidit, heic adſcriptam legiſſe. Ita verò ille: *De Chriſtolytis noſter iisdem verbis ſcribit, quibus Conſtantinus Copronymus, cujus textum Nicephorus Conſtantinopolitanus recitat antirrhet. 1. C. 34. Videntur ambo hæc hauſiſſe ex vetuſtiore autore. Chriſtolyta fuit Stephanus Gobarus, qui Chriſtum non venturum carne, ut homines judicet, ſed nudâ divinitate docuiſſe fertur apud Phot. cod. 232. Chriſtolytæ erant Eutychiani illi, qui apud Theodoretum dial. 2. Chriſtum, poſitâ humanitate, in cœlum abiiſſe fatentur.* Hæc doctiſſimus LEQUIEN f. 108. 109. Quod reſtat, ad Chriſtolytas vel maximè Cerinthus pertinet, cujus error notus eſt. Maximè verò Neſtoriani huc ſpectant.

ſubjicietur Patri, *ita interpretati ſunt, quòd poſt extremum judicium humana natura abſorbebitur à divinâ, ita ut Chriſto poſt extremam diem tantùm divina natura futura ſit, abſorptâ prorſus humanâ, ſicut Auguſtinus recitat lib. 1. de Trinitate cap. 8. Et Hilarius alicubi* (i) *ad hanc opinionem alludere videtur. Sed Scriptura tradit, Chriſtum poſt unionem habuiſſe & retinuiſſe veram humanam naturam, & in illâ ipſâ humana natura ſubſtantiâ reſurrexiſſe, quam à Spiritu S. conceptam & ex Mariâ aſſumtam ante reſurrectionem geſtârat. Inquit enim Luca 24.* Ego ipſe ſum, habens manus, pedes, latus, carnem, oſſa, &c. *In illo verò corpore aſcendit in cœlum & ad judicium rediturus eſt*, ita, ſicut viſus fuit aſcendere *Actorum 1. Et tunc corpus illud videbunt*, quod *in paſſione* compunxerunt. *Joh. 19. Apoc. 1. Et poſt judicium ſemper erimus cum illo Domino, qui in nubibus venturus eſt ad judicium 1. Theſſ. 4. Et in novâ Jeruſalem Apoc. 21. in vitâ æternâ Agnus erit lucerna, in cujus lumine ſalvati ambulabunt. Diſtinctè autem ibidem nominatur Deus omnipotens & agnus. Et dulcis eſt conſolatio, quòd certiſſimum pignus ſalutis & glorificationis noſtræ eſt humana natura in Chriſto, ad dexteram Patris collocata, in quâ vultui Dei apparet pro nobis Hebr. 7. ut conformes aliquando reddamur corpori ipſius glorioſo Philipp. 3. In illâ ipsâ naturâ, quâ ſumus caro de carne ejus & os de oſſibus ejus, veniet ad judicium, ut eò alacriores diligamus adventum ipſius 2. Tim. 4. Hoc nexu & hâc copulâ perpetuò adhærebimus Deo in vitâ æternâ. Veriſſimum igitur eſt uſitatum illud Theologorum dictum: Humanam natu-*

(*i*) L. XI. de Trinitate, ubi ſub finem ait, *carnem Chriſti in ſpiritum devoratam eſſe.* Sed orthodoxa, credo, mens eſt Patrum præſtantiſſimi. Cæterùm locum illum 1. Cor. XV. 24. 28. de quo & infra dicemus, egregiè HILARIUS explicat.

Digitized by Google

turam, quam Filius Dei ſemel aſſumſit, in æternum nunquàm deponet, ſed perpetuo fœdere manebit in perpetuum copulatio illa divina & humana natura in Chriſto. Ut igitur hunc locum tandem concludamus, vera Scriptura de humanâ naturâ in Chriſto ſententia hac eſt, quòd Filius Dei in plenitudine temporis PERPETUO FOEDERE, IN ÆTERNUM NON SOLVENDO, ſibi copulavit humanam naturam &c. Hæc incomparabilis CHEMNITIUS, quæ ob raritatem argumenti, ab aliis haud ita evoluti, plena hîc poſuimus *(k)* atque ex hiſtoriæ eccleſiaſticæ monumentis in notis illuſtravimus.

§. V.

Etſi verò CHEMNITIUS pro inſigni, quâ floruit, hiſtoriæ dogmatum notitiâ rem exhauſiſſe plenumque eorum, qui perpetuitatem humanæ Chriſti naturæ olim negavere, indicem dediſſe ſic videatur, ſunt tamen quædam hîc, quæ ſpicilegii loco addenda nobis veniunt. Non autem jam in ſcenam eos producemus hæreticos veteres, qui Chriſto non verum corpus ſed phantaſma ſaltem corporis tribuerunt aut qui eundem corpus ſuum de cœlo detuliſſe ſomniârunt. De Origene memorat in paſchali epiſtolâ ſecundâ THEOPHILUS, quòd Chriſti regnum perpetuum minimè fore putaverit *(l)*. Addendus eſt ex HIERONYMI epiſt. LIX. ad Avitum alius Origenis error, ex ſecundo tertioque libro de principiis erutus, ubi ſtatuit ille, poſt reſurrectionem & cùm omnia Patri ſubjecta fuerint, homines habere corpora deſituros ac totam naturam corporis interituram, ex quo ſequitur, Chriſti

 quo-

(k) Ex libello de duabus naturis in Chriſto & hypoſtaticâ earum unione C. 3. f. 17. *(l)* Vide Bibl. Patr. T. III. f. 95. 96.

Digitized by Google

quoque corpus eſſe periturum hominemque adeò eundem non amplius fore. Aſt, cùm hæc ipſa in libris Origenis de principiis, prout hodiè exſtant, haud habeantur, de hâc ipſius ſententiâ dubitat ferè DION. PETAVIUS (*m*). De Apolinario jam quædam ex GREG. NAZ. diximus. Eandem ſententiam Eutychiani tenent, inter quos ſunt, qui ſtatim à conceptione, alii, qui poſt reſurrectionem & aſcenſionem humanitatem à divinitate abſorptam eſſe ajunt. Spectat hùc Eraniſtes hæreticus, qui in Theodoreti dialogo II. rogatus, quo tempore humanitas Chriſti exſtare

(*m*) de incarnatione L. XXII. C. 18. §. 2. 3. Imò HUMFREDUS quoque HODY Origenem heic defendit oſtenditque, ipſum errorem iſtum non erráſſe, in the reſurrection of the (ſame) body aſſerted p. 108. ſeqq. 152. ſeqq. Nihilominus hallucinatum ita eſſe Origenem contendit MICH. LEQUIEN ad Damaſcenum T. I. f. 253. in notâ 1. Et ſanè in Juſtiniani Imperatoris libro adverſus Origenem ex ſecundo περὶ ἀρχῶν allegatur locus ita ſonans: *Quod ſi ſubjecta Chriſto tandem ſubjicientur & Deo, corpora deponentur ab omnibus: arbitrorque, futuram tunc in non ens reſolutionem.* Vide Concilia HARDUINI T. 4. f. 278. Idem in literis Juſtiniani ad Synodum Conſtantinop. repetitur, ubi dicitur, quòd ſtatuerint Origeniſtæ Hieroſolymitani, *Chriſtum* quoque *corpus ſuum depoſiturum.* Qui error dein in eodem Concilio C. X. XI. fuit damnatus, uti ſupra vidimus. Vide Concilia HARDUINI T. 4. f. 282. 286. Addimus ὡς ἐν παρόδῳ & id, quod ſupra ad p. 20. notam (*a*) pertinet, ſtatuiſſe quoque Origenem, *Chriſti animam prius exſtitiſſe eique Deum Verbum eſſe unitum, antequàm è Virgine incarnaretur.* Hinc in libro Juſtiniani adv. Origenem in anathematiſmis tertio loco hic ponitur: *Si quis dicit aut ſentit, primùm conformatum eſſe Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti in utero Mariæ Virginis ac poſteà unitum ei eſſe Deum Verbum & animam, utpote, quæ ante fuiſſet, anathema ſit.* Vide Concilia HARDUINI T. 4. f. 258. 279.

Digitized by Google

ſtare deſierit, reſpondet, eam in reſurrectione à divinâ naturâ abſorptam eſſe. (*n*). Maximè verò inter veteres perpetuitatem humanæ Chriſti naturæ negâſſe fertur MARCELLUS ANCYRANUS. *Nam,* uti PETAVIUS rem effert (*o*), *regnum Chriſti poſt aliquantum temporis deſiturum eſſe credidit, ut & œconomiam ipſius, id eſt* incarnationem, *qua videlicet nihil illi fuiſſe viſa eſt aliud, præterquàm temporalis quædam adminiſtratio, qua perfunctus, velut actor fabulæ, perſonam poſuerit.* En verba EUSEBII (*p*), quæ latina ſtatim dabimus: *Quòd vero præter opinionem ab illo dictum eſt, tale eſt: cæpiſſe Filium Dei omnia illa gerere annis abhinc minus quadringentis, ac rurſus ſubitò deſiturum poſt judicii diem, quando & Verbum Deo unitum fuerit, adeò ut nihil aliud ſit præter Deum, & caro, quam aſſumſit, ſolitaria relinquetur à Verbo, ut nec Dei Filius aliquando ſubſiſtat, nec Filius hominis, quem aſſumſit.* En & illa CYRILLI HIEROSOLYMITANI (*q*), quæ itidem mox latina damus: *Quod ſi forte aliquem audiveris dicentem, quod finem habeat Chriſti regnum, hanc hæreſin exſecrare: draconis eſt alterum caput, quod noviſſimè circa Galatiam ſuccrevit. Auſus eſt quidam (r) dicere, poſt mundi finem regnaturum non eſſe Chriſtum, nec pronuntiare veritus eſt, quòd Verbum è Patre egreſſum, ipſum rurſus in Patrem reſolutum, ampliùs non erit, talia in ſui ipſius perniciem blaſphema vomens.* Probat dein regni theanthropici

(*n*) Vide PETAV. de incarn. L. 1. C. 14 §. 7. & L X. C. 7. §. 1. ſeqq. ubi verò perperam Lutheranos in Eutychianiſmi conſortium ob ubiquitiſmi, quæ criminatio ipſius eſt, dogma vocat. (*o*) l. c. § 5. (*p*) L. II¹. de Eccleſ. Theol. C 13. Cæterùm tùm in his libris, tùm in aliis duobus contra Marcellum libris eundem datâ operâ refutat EUSEBIUS. (*q*) in Catecheſi XV. §. XXVII. f. 239. editionis Touttæanæ. (*r*) Hic verò eſt *Marcellus* iſte *Ancyranus.*

tropici æternitatem CYRILLUS ex Joh. VIII. 35. ὁ ὑιὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα, item ex Luc. I. 32. Dan. VII. 13. II 34 44. Pſalm. XLIV 7. CI. 26. 27. 28. Hebr. I. 8. 10. &c. ex quibus ea, quæ § 1. diximus, locupletari poſſunt. Reſpondet quoque poſtea ad objectiones ex 1. Cor. XV. 25 28 petitas. Sed verò mirum eſt, quàm diverſè de MARCELLO hoc ejuſque hæreſi ſenſerint & Concilia vetera, ubi mox damnatus, mox abſolutus fuit (s), & Patres veteres (t) & Scriptores recentiores (u). Errorem tamen de finiendo Chriſti regno & de deferendâ à Verbo humanitate certiſſimè

(s) Ita damnatus fuit Marcellus in Synodo Hieroſ. A. 335. Conſtantinop. A. 336. Philippopol. A. 347. & Conſtant I. Oecum. A. 381. ſed abſolutus in Concilio Rom 342. & Sardicenſi A. 347. (t) Ita Marcello faverunt tantiſper Julius I. Epiſcopus Romanus, Athanaſius, Epiphanius, damnârunt eum cæteri ferè ad unum omnes, Euſebius, Gregorii, Naz. & Nyſſenus, Cyrillus Hieroſ. Hilarius, Sulpitius Severus, Baſilius, Acacius Cæſarienſis, Socrates, Sozomenus, Theodoritus, Chryſoſtomus, alii. Videatur tamen & Jo. Damaſcenus hær. 72.

(u) Confer, ſi placet, DION PETAV. de Trinitate L. I. C. 13. §. 1. ſeqq. & de incarnat. L. I. C. 3 §. 10. 11. RICH. MONTACUTIUM ſub initium notarum ad Euſebium contra Marcellum, GUIL. CAVE in hiſtor. liter. Script. Eccl. ad A. 330. & Marcellum, BERNARDUM MONTFAUCONIUM, qui diatribam de cauſâ Marcelli Ancyrani tomo ſecundo Collectionis novæ Patrum præmiſit, ubi cauſam Marcelli agit, & GUIL. WHISTONUM in a diſſertation upon the Epiſtles of Ignatius, quæ exſtat Vol. 1. of the primitive Chriſtianity reviv'd, p. 89. ſeqq. ubi & MONTFAUCONIUM refellit & oſtendere conatur, vel Marcellum vel quendam ipſius ſectatorum compilâſſe epiſtolas Ignatianas, breviores illas, quæ hactenus genuinæ creditæ ſunt, eapropter, quòd in iis (brevioribus, non prolixioribus, quæ communiter interpolatæ dicuntur,) ad Smyrnæos §. 3. Magneſianos §. 7. Ro-

tiſſimè erravit, unde & Patres Concilii Conſtantinopolitani Oecumenici II. nominatim GREGORIUS NYSS. Symbolo Nicæno hæc de Chriſto verba addidit: ὗ τῆς βα-

σι-

---

manos §. 3. dicatur Chriſtus ἐις ἕνα ὤν καὶ χωρήσας, ἐν Πατρὶ ὤν, πνευματικῶς ἡνωμένος τῷ Πατρὶ, quæ omnia in prolixioribus haud inveniantur, ubi ad Magneſianos §. 6. expreſsè dicatur de Chriſto: καὶ ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων ὁ αὐτὸς διαμένει, τῆς γὰρ βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος, quæ verba in breviore editione omiſſa ſint, eraſa nempe à Marcello, cujus exſtiterit ſententia, incarnationem & regnum Chriſti haud fore perpetuum. p. 92. Addenda de Marcello adhuc eſt A. A. TOUTTÆI nota ad Cyrillum Hieroſ. f. 239. Digna verò illa eſt, quam hîc adſcribamus: *Marcellus Ancyranus, cùm adverſus Aſterium, Sophiſtam Arianum librum ſcripſiſſet ad explicandum locum Apoſtoli de Filii ſubjectione ergo Patrem, Sabellii & Pauli Samoſatenſis hæreſin inſtaurare viſus eſt. Quare in Concilio Hieroſolymitano anni 335. deprehenſus ab Epiſcopis, quòd prava ſentiret, & ſententiam mutare juſſus, librum ſe igni daturum pollicitus eſt. Conſtantinum poſteà adivit, à quo ad Concilium CP. anni 336 remiſſus Epiſcoporum ſententiâ ſacerdotio dejectus eſt. Hæc ex Socrate L. I. Hiſt. C. 36. & Euſebio L. 1. contra Marcellum p. 55. & 56. Idem tamen à Concilio Romano A. 342. & Sardicenſi A. 347. abſolutus, utrum verè hæreticus fuerit, Criticis diſputandi occaſionem dedit. Si lis iſta ex Patrum & autorum eccleſiaſticorum ſententiâ æſtimanda ſit, omnes penè accuſant Marcellum, pauci defendunt, aliqui dubii hærent. Si ex confeſſionibus fidei, Marcelli & diſcipulorum, nihil eſt, quod in illis jure reprehendas.* (Et hùc vel maximè provocat MONTFAUCONIUS.) *Si ex fragmentis librorum ejus ab Euſebio tranſcriptis, Marcellum forte ab hæreſi Sabellianâ & perſonarum, Patris & Filii confuſione utcunque abſolves, ab hæreſi verò de finiendo Chriſti regno & deſerendâ à Verbo, quam noſtra ſalutis cauſâ ſuſcepit, humanitate vix ac ne vix quidem: adeò diſerta ſunt ejus verba, ab Euſebio inprimis lib. 2. contra Marcellum commemorata pag. 50. & 51. Si denique ex judiciis Synodalibus, erit potior Conciliorum Romani & Sardi-*

βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος, CUJUS REGNI NON ERIT FINIS (x). Quæ etſi alibi, ubi Symbolum Nicænum recenſetur, haud adjecta ſemper conſpiciantur, leguntur tamen & in eâ Symboli Nicæni editione, quæ Auguſtanæ noſtræ Confeſſioni præfixa eſt, ubi Symbolum non Nicænum merum, ſed Nicæno-Conſtantinopolitanum exſtat (y). Quod reſtat, Chriſtum planè deſiiſſe in morte Sociniani nugantur, ut conſtat, qui & ajunt, Chriſtum in reſurrectione, corpore priore depoſito, aſſumſiſſe ſpiritale aliud, carne & ſanguine carens (z).

§. VI.

---

cenſis, quam Hieroſolymitani, CP. & Philippopolitani auctoritas. Quæ tamen Cyrillum noſtrum, Baſilium & Patres penè omnes tàm Latinos, quàm Græcos non prohibuit, quò minùs Marcellum alii ut certum hæreticum, alii ſaltem, uti maximè ſuſpectum haberent, Conciliumque CP. Oecumenicum II. Marcellianos in veris hæreticis numerat. Hactenus TOUTTÆUS. Ego exiſtimaverim, Marcellum revera hæreticum fuiſſe vafrique ingenii hominem, qui tùm voce, tùm in libris ſententiam animi ſuam ſæpius diſſimulaverit & texerit, ne orthodoxorum gratiam perderet, hoſque dein ſic ſefellerit & circumſcripſerit. Qui plura de Marcello noſſe volet ex libro, qui ad manum eſt, adeat digniſſimi D. WEISMANNI noſtri Hiſt. Eccl. N. T. P. 1. p 251. 252. (x) Vide de additione hâc DION. PETAV. de incarnat. L. XII. C. 18. §. 9. ſeqq. Mirum eſt, hæc ipſa reticere novum Autorem JO. CASP. SUICERUM, Canonicum & Profeſſorem Tigurinum, qui ante hos quatuor annos Symbolum Nicæno-Conſtantinopolitanum eruditè expoſitum à ſe & ex antiquitate Eccleſiaſticâ illuſtratum Trajecti ad Rhenum edidit. (y) Vide AD. RECHENBERGII, Theologi nuper Lipſienſis primarii append. ad libros Symbolicos C. 9. §. 8. p. 111. (z) Vide J. A. SCHERZERI Colleg. Anti-Socin. p. 585. ſeqq. 595. ſeqq. 614. ſeqq. & A. CALOVII Scripta Anti-Sociniana P. 2. f. 216. ſeqq.

Digitized by Google

§. VI.

Aſt ne ſic quidem recenſionem eorum abſolvimus, qui perpetuitatem humanæ Chriſti naturæ negant. Pertinent enim hùc etiam illi, qui exiſtimant, fuiſſe aliquando tempus, ubi unio perſonalis inter divinam & humanam Chriſti naturam, ubi incarnatio fuerit ſoluta. Tales ſunt illi primò, qui cauſſantur, humanitatem Chriſti à Λόγῳ illo tempore deſertam fuiſſe, quando Chriſtus in cruce exclamaverit: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* Matth. XXVII. 46. Marc. XV. 34. tales & ſunt ſecundò, qui putant, unionem perſonalem in morte ſolutam fuiſſe. Eja, indicem quendam eorum, qui ſic hallucinati (a) ſunt, demus paucis.

§. VII.

Et verò ſunt ex Patribus plurimi, qui hunc errorem olim erravere. Antecedat omnes NOVATIANUS, qui de Trinitate C. XVI. ita: *Sermonem Dei ſcimus indutum carnis ſubſtantiam eundemque rurſus exutum eâdem corporis materiâ, quam rurſus in reſurrectione ſuſcepit & quaſi indumentum reſumſit*, quæ ipſa ibidem ille iterum iterumque repetit. Subſequatur HILARIUS Pictavienſis, qui in commentario in Matthæum, canone XXXIII. hæc ponit: *Clamor verò ad Deum corporis vox eſt, RECEDENTIS A SE VERBI conteſtata diſſidium.* Excipiat HILARIUM EPIPHANIUS, qui hæreſi XX. quæ eſt Herodianorum, ait, corpus Chriſti in reſurrectione cum divinitate iterum *conjunctum fuiſſe, non amplius diſ-*

G

(a) Longè gravius hallucinatus eſt Apollinarius, qui exiſtimavit in triduana Chriſti morte divinitatem quoque commortuam & Patris demùm beneficiis ex morte revocatam fuiſſe. Vide GREGORII NAZIANZ. epiſtolas ad Nectarium & Cledonium.

diſſolvendum, & hæreſi LXIX. quæ eſt Arianorum, ſcribit, *humanitatem Chriſti, cum videret, divinitatem jam in procinctu quodam eſſe, ut ſanctum corpus deſereret*, verba iſta pronuntiâſſe: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* Succedat AMBROSIUS Mediolanenſis, qui in commentario in caput Lucæ XXIII. L. X. hæc habet: *Clamavit Jeſus, voce magnâ dicens: Deus, Deus meus, reſpice me, quare me dereliquiſti? Clamavit homo, DIVINITATIS SEPARATIONE moriturus.* Idem in Symbolum Apoſtolorum capite XXIII. non ſaltem eadem verba repetit, ſed & hæc addit: *Deus autem, qui Verbum & Spiritus eſt, qui, ubi vult, ſpirat, carnem humanam animamque ſuſceptam non deſeruit invitus, ſed quia voluit, ubi voluit, quomodo voluit & quando voluit, relinquens poſuit eam & iterum aſſumſit eam. Non ergo cujuſpiam jure ac poteſtate exutus eſt carnem ſed ipſe ſe exuit. Nam, qui potuit non mori, ſi noluiſſet, procul dubio, quia voluit, mortuus eſt. Quod ita eſſe comprobans, SPOLIANS SE CARNE* (*b*) *princi-*

(*b*) Reſpicit AMBROSIUS ad Col. II. 15. ubi verò in origine Græcâ de carne legitur nihil, ſed ſimpliciter exſtat, *ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας.* Syrus tamen interpres vertit: *& in exutione corporis ſui.* Ita & Latinus interpres vetus. Ecce locum NOVATIANI de Trinitate C. 16. *Apoſtolus de Chriſto refert, ut exutus carnem poteſtates dehoneſtavit, palàm triumphatis illis in ſemetipſo.* Ita ſanè & legerunt HILARIUS & AUGUSTINUS, uti obſervant PETAVIUS de incarnat. L. XII. C. 19. § 2. qui loca ex ordine recenſet, & JO. MILLIUS ad h. l. Addi adhùc poteſt PHILASTRIUS C. 55. de hæreſibus p. 110. editionis nuperæ, quam dedit clariſſimus FABRICIUS. *Credibile eſt*, ait PETAVIUS §. 3. *Patres illos, qui ſic verterunt*, ſpolians ſe carne, exuens ſe carne, exutus carne, *exiſtimâſſe, participium ἐκδυσάμενος reciprocam habere ſignificationem, qualis apud Hebræos eſt conjugatio*

principatus & poteſtates exſpoliavit. Quintus ordine procedat LEPORIUS, qui in libello emendationis ſive ſatisfactionis ad Epiſcopos Galliæ ſcripto, cui Auguſtinus (c) aliique Epiſcopi ſubſcripſerunt, in eandem ſententiam fatur: niſi quòd ajat, corpus quidem à divinitate deſertum eſſe, ſed non animam. Verba ſunt: *Ut verè manifeſtéque Filius Dei ſecundùm carnem ſe oſtenderet moriturum & velut carnis ipſius voce utens, ponens præteritum pro futuro, quia per mortem crucis NECESSARIO TERRENUM CORPUS ERAT A DEO PRO TEMPORE RELINQUENDUM, non ſolùm à Deo, verùm etiam ab animâ ſuâ, quæ erat unita cum Deo, hoc ipſum, priusquàm fieret, nobis moriens teſtaretur.* Ac porrò: *Divinitas cum unitâ ſibi animâ non crucifixum hominem reliquit in pœnam ſed exanimem carnem deſtruit ad tempus.* Hæc LEPORIUS, qui verò maximè hîc ad mortem Chriſti reſpicit. Sexto lo-

hitpaël, ſecundùm quam Hebraicè diceretur מִתְפַּשֵּׁט *hoc eſt*, ſpolians *vel* exuens ſe. *Ubi veteres illi ſubaudiendam* carnem *putârunt. Ita cenſet Eraſmus, quem fruſtra Beza redarguit:* quòd Chriſtus carnem nunquàm abjecerit. *Sed rectè occurritur ex Auguſtini interpretatione illâ, quam ex libro XVI contra Fauſtum adduximus*, (nempe, ut per *carnem* ſaltem *mortalitas* intelligatur,) *quæ reipſâ procul dubio admittenda foret, ſi ſpoliatum carne eſſe Verbum dixiſſet Apoſtolus. Sed non dixit. Solos enim Principatus & poteſtates, id eſt, dæmones ſpoliatos eſſe voluit, non autem Chriſtum ipſum.* Hactenùs PETAVIUS, qui addere adhùc poterat, Patres, ubi *exuens ſe carne* vertunt, reſpicere ad luctatorum & curſorum morem, qui certaturi veſtem deponere ſolebant. Sed clarum eſt, Paulum hîc de Chriſto non dicere, quòd *ſe* exuerit, ſed quòd τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας exuerit.

(c) Hinc & libellum hunc AUGUSTINO tribui videas à PASCHASIO QUESNELLO in notis ad Epiſtolam Leonis M. CXXXIV. Opp. Leoninorum T. 2. f. 508, 509.

eo memorandi ſunt VITALIS & CONSTANTIUS, Hiſpani, qui in epiſtolâ ad CAPREOLUM, Carthaginenſem Epiſcopum ita de hæreticis quibusdam: *Sed & hominem purum dicunt pependiſſe in cruce, (d) comprehenſum ajunt, Deus receſſit ab eo. Quibus parvitas noſtra ſic dicit: Nunquàm Deus receſſit ab homine adſumto, niſi quando dixit de cruce: Heli, Heli, lamma ſabactani, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti (e)?* Plures, qui in hanc ſententiam iverint, memoriæ jam haud ſuccurrunt.

§. VIII.

(*d*) Fuit hæc ipſiſſima Cerinthi hallucinatio, qui ſtatuit, *Chriſtum à Jeſu*, cùm pateretur, *avolâſſe iterum & Jeſum paſſum eſſe & reſurrexiſſe, Chriſtum autem impaſſibilem perſeverâſſe exiſtentem ſpiritalem.* Vide IRENÆUM adv. hær. L. 1. C. 26. §. 1. Hinc exiſtimat CHRISTIANUS LUPUS in notis ad Tertullianum de præſcript. p. 551. ad hunc Cerinthi errorem reſpexiſſe Petrum, cùm 1. Ep. IV. 1. ſcribit, *Chriſtum carne paſſum eſſe.* Adde EPIPHAN. hær. 28. C. 1. qui eundem Cerinthi errorem refert.

(*e*) Vide HUGONEM DE S. VICTORE L. 2. de ſacramentis Chriſtianæ fidei, P. 1. C. 10. Opp. T. 3. f. 273. ubi iſta alleguntur & refutantur. Cæterùm benignè ibi locum AMBROSII ſupra datum idem explicat, & id, quòd derelictum ſe à Deo Chriſtus in cruce queritur, exponit ſic: *Dereliquit, quia auxilium non contulit, ſed non dereliquit, quia præſentiam non abſtulit, ſubtraxit protectionem, ſed non ſeparavit unionem.* Ita & PETRUS LOMBARDUS, Magiſter ſententiarum L. III. ſentent. diſt. 21. monet, HILARII & AMBROSII dicta non eſſe intelligenda de eâ *ſeparatione divinitatis ab humanitate, quâ perſonalis unio fuiſſet ſoluta, ſed quâ ſeparari potuerat divinitas ab humanitate, privando eam auxiliis, quibus mortem effugeret, & nullam præbendo conſolationem.* Aſt vix procedit hæc explicatio, ſi verba Autorum probè ponderemus. Confer tamen PETAVIUM de incarnatione L. XII. C. 19. §. 4. & JO. GERHARDI Harmoniam Evangelicam C. CCII. f. 2014. a.

§. VIII.

Abſit verò, in hanc errantium claſſem ut eos quoque referamus, qui exiſtimant, Chriſtum in triduo mortis verum hominem haud exſtitiſſe. Hi enim, etſi ita ſecum ſtatuant, unionem tamen perſonalem inter divinam & humanam naturam haud ſolutam eſſe tùm affirmant, etſi vinculum inter animam & corpus Chriſti fuerit ſolutum. Rectiſſimè JO. DAMASCENUS: *Quamvis igitur Chriſtus, ut homo, mortem obierit ſanctaque ipſius anima ab immaculato corpore diſtracta ſit, divinitas tamen à neutro, hoc eſt, nec ab anima, nec à corpore quoquo modo ſejuncta eſt, neque propterea perſona una in duas diviſa fuit, ſiquidem & corpus & anima ſimul ab initio in Verbi perſona exiſtentiam habuerunt, ac, licet in morte divulſa ſint, utrumque tamen eorum unam Verbi perſonam, quâ ſubſiſteret, ſemper habuit* (g). Eandem in ſententiam ſtantur ATHANASIUS, GREGORIUS NYSSENUS (h), AUGUSTINUS, FULGENTIUS, FERRANDUS, BERNARDUS aliique Patres complures, quorum loca præſtantiſſima producunt & citant DION. PETAVIUS (i) & MICH. LEQUIEN (k). Jam verò quæritur, num, vinculo inter animam & corpus Chriſti ſoluto, tamen Chriſtus in triduo mortis verus homo permanſerit? Si enim verus homo haud permanſit, nec divina natura cum vera natura humana videtur permanſiſſe. Itaque ſanè operæ pretium eſt, & hanc excutere quæſtionem. Primò autem Autores dabimus, qui arma heic conſerunt, & in partes eunt. Secundò rationes & argumenta utriusque partis dabimus. Tertiò, num conciliari hæc con-

(f) Unus tamen excipiendus eſt, anonymus ille, contra quem FEURBORNIUS in locis infra citandis agit. (g) de fide orth. L. 3 C. 27. (h) in epiſt. ad Euſtathiam & Ambroſiam. Vide ſupra p. 32. (i) de incarn. L. XII. c. 19. §. 5. ſeqq. (k) ad Damaſc. T. 1. f. 251.

controverſia & in λογομαχίαν num redigi poſſit, videbimus.

§. IX.

Quod primùm Autores heic diſſentientes ſpectat, in duas, uti par eſt, acies ipſos diſpeſcimus. Quod antequam facimus, præmonemus, nos nullos heic Patres adducturos, utpote, quorum ævo hæc controverſia nondum ventilata fuit. Qui tamen phraſes ab iis adhibitas noſſe heic voluerit, adeat D. PETAVIUM (*l*) & JO. MEISNERUM (*m*). Non fuiſſe Chriſtum in triduo mortis verum hominem, inter Scholaſticos maximè aſſeruerunt ALEXANDER ALENSIS, THOMAS AQUINAS, BONAVENTURA, DURANDUS, MARSILIUS AB INGEN & GABRIEL BIEL (*n*), quos hodiè communiter ſequuntur Theologi Romanenſes, ex quibus ſolum allegamus DION. PETAVIUM, è ſoc. Jeſu (*o*). Ex noſtris hanc ſententiam adoptârunt BALTH. MEISNERUS (*p*), ALBERTUS GRAWERUS (*q*) & JOACH. LUTKEMANNUS (*r*), ex quibus tamen MEISNE-

(*l*) de incarn. L. XII. C. 19. §. 5. ſeqq. (*m*) in aſſert. de quæſtione: an Chriſtus in triduo mortis verus homo permanſerit? §. 29. 30. ubi maxime AUGUSTINUS allegatur. (*n*) Loca dat B. MEISNERUS quæſt. vex. II. p. 24. ſeqq. (*o*) de incarn. L. XII. C. 20. (*p*) in quæſt. vexat. qu. 2. de triduo mortis Chriſti & in Chriſtologia Sacra diſp. 5. §. 34. p. 39. (*q*) in prælect. acad. in Aug. Conf. art. 3. & quæſt. illuſtr. diſp. 6. n. 8. (*r*) in diſſ. phyſico-Theologicâ de vero homine p. 51. ſeqq. ubi p. 107. ſeqq. DANNHAWERI Chriſtoſophiam refutat, quam dein in Hodoſophiâ p. 629. ſqq. DANNHAWERUS defendit. Addi adhuc LUTKEMANNO poteſt quartus, cujus nomen nos latet. Vide Conſil. Dedekenni app. novâ f. 68. & Calovii Syſt. loc. Theol. T. 7. p. 667. Nomen tamen exprimunt unſchuld. Nachr. A. 1714. p. 921.

Digitized by Google

NERUS (s) ſententiam retractavit. Eandem opinionem tenent ex Reformatis FR. ANCISCUS BURMANNUS (t) & JOH. BRAUNIUS (u). Accedunt SOCINIANI, qui ajunt, Chriſtum in triduo mortis planè deſiiſſe (v). Contrariam theſin, quòd nempe Chriſtus in triduo mortis verus homo permanſerit, ex Scholaſticis defenderunt PETRUS LOMBARDUS & HUGO DE S. VICTORE (w). Jam verò noſtri in hanc ſententiam ubique pedibus eunt. Vide allegata loca librorum Symbolicorum & Theologorum à JO. MEISNERO (x) & JUSTO FEURBORNIO (y).

Præ-

(s) in diſſ. de merito Chriſti Wittebergæ A. MDCXXIV. defenſa, ubi hæc verba ponit: *Defendi aliquando ſententiam Thomæ, Chriſtum in triduo mortis non permanſiſſe verum hominem. At enimverò & uſus & lectio & cribratio & Theologorum admonitiones aliud me docuerunt. Quapropter ſententiam priorem revoco & contrarium huic dogma meis inculco ſemperque inculcabo.* Idem memorat & de MEISNERO FEURBORNIUS in literis ad Fac. Theol Lipſ. & Jen. quòd ille monitus ab HOEO, GERHARDO & MENZERO ſententiam retractaverit. Vide Conſ. Dedekenni in appendice novâ f. 72. QUENSTEDIUM in Syſt. Theol. P. 3. f. 416. & JO. HENR. FEUSTKINGII palinodiam ſacram, ſive ſchediaſma de retractationibus Theologorum in rebus fidei §. XLI. p. 104. ſqq. ubi tamen ſententiam MEISNERI valdè confuſè refert atque ait, inter illum & JAC. MARTINI litem eo tempore Wittebergæ hoc de argumento agitatam fuiſſe. (t) in Synopſi Theol. T. 2. L. V. C. 18. §. 3. p. 94. 95. (u) in doct. fœd Vol. 2. P. 4. C. 17. §. 13. p. 540. (v) Vide QUENSTEDII Syſt. Theol. P. 3. f. 416. (w) Loca eorum exhibet DION. PETAVIUS de incarn. L. XII. C. 20. §. 2. ſed refutat etiam in ſequentibus. Adde B. MEISNERI Quæſt. ver. II. p. 22. ſqq. & QUENSTEDII Syſt. Theol. P. 3. f. 415. 416. (x) in diſſ. de Chriſto vero homine in triduo mortis §. 31. ſeqq. (y) apud Dedekennum in append. novâ f. 71.

Præcipuos ſaltem hic memoramus JO. GERHARDUM (*z*), JUSTUM FEURBORNIUM (*a*), JO. MEISNERUM (*b*), JOH. CONR. DANNHAWERUM (*c*), JOH. AD. SCHERZERUM (*d*) & JO. ANDR. QUENSTEDIUM (*e*). Jam ad rem.

§. X.

Argumenta eorum, qui negant, Chriſtum in triduo mortis verum hominem extitiſſe, hæc ſunt. Ajunt I. Ariſtotelem, ſenſu communi adjutum, ſtatuere, hominem mortuum non eſſe verum hominem ſed hominem ſaltem æquivocè ſic dictum (*f*). Scilicet II. verum hominem illum dici, qui conſtet ex anima & corpore ſecum invicem UNITIS, non DISJUNCTIS. Quemadmodum enim III. homo fiat ex conjunctione animæ & corporis, ita illum deſinere ex diſſolutione animæ & corporis. Addunt ergò IV. ſi Chriſtus dici debeat verus homo in triduo mortis, illum non eſſe verè mortuum, & V. eum, qui animatus non ſit, verum hominem eſſe non poſſe, cùm verus homo tanquam ſpecies ſub genere entis vivi comprehendatur, nec VI. animam & corpus in morte hominem efficere poſſe, quia ob factam ſeparationem tanquam partes ad conſtituendum ho-

(*z*) in harm. Evang. C. ccii f. 2031. 2032. (*a*) in ſacrar. diſquiſ. Syntagm. I. P. 3. diſſ. 10. §. 29. Opp. Theol. p. 1420. ſeqq. & apud Dedekennum in append. nova f. 68. ſeqq. itemque in den unſchuld. Nachricht. 1714. p. 920. (*b*) in aſſertione Theologicâ ſanâ & ſobriâ de quæſtione: *num Chriſtus in triduo mortis verus homo permanſerit?* Witteb. 1674. ubi B. MEISNERUS refutatur. (*c*) in Chriſtoſophia p. 48 & Hodoſophia p. 628. ſeqq. Adde Inſtit. noſtras Theol. P 2. C. 6. §. 2. p. 437. (*d*) in Colleg. anti-Soc. diſp. 66. p. 540. & diſp. 144. p. 1163 ſeqq. (*e*) in Syſt. Theol. P. 3. f. 414. ſqq. (*f*) Vide loca apud D. PETAVIUM de incarnat. L. XII. C. 10. §. 3.

Digitized by Google

hominem concurrere non poſſint. Hæ rationes MEISNERIANÆ ſunt. Neſcio, an majorem ſpeciem habeant hæ LUTKEMANNI. Ait hic, ex eo liquere, Chriſtum in triduo mortis verum non eſſe hominem, quia I. ſi anima & corpus Chriſti nunquam extitiſſent naturaliter unita, Chriſtus nunquam dictus fuiſſet homo, II. ſi in triduo mortis Chriſti anima & corpus Chriſti fuiſſent dimiſſa ab hypoſtaſi divina, Chriſtus verus homo non erat exititurus, III. Chriſtus ut homo nobis ſecundum omnia debuit eſſe ſimilis. Ergò debuit eſſe homo phyſicus, ex corpore & anima *unitis* conſtans. Ergò definitio communis hominis ipſi competere debet. IV. Si Chriſtus fuit ſacrificatus, fuit deſtructus ut homo. V. Si reſurrexit, id quod perdiderat, reſumere debuit, nempe humanitatem ſuam. VI. Si templum corporis ipſius fuit diſſolutum Joh. II. 19. verus homo in morte eſſe deſiit. Hæ ſunt XII. rationes negantium (ℊ).

(ℊ) Accedit adhuc alia quædam LUTKEMANNI ratio, quæ hæc eſt, quòd *præter animam & corpus aliquid aliud eſſentialiter requiratur ad conſtitutionem hominis, & quidem ſubſtantiale aliquid, quod moriente homine CORRUMPATUR, ob cujus entis abſentiam Chriſtus tempore mortis non fuerit verus homo, ſiquidem id præter corpus & animam ad eſſe hominis requiratur, quod requiſitum tertium idem numero, reſurgente homine ex mortuis, redire* negavit idem. Tria ſunt hæc corollaria, quæ LUTKEMANNUS A. 1649. diſſertationi Roſtochii abs ſe editæ adjecerat. Quæ tanquam heterodoxa ferre non valens JO. COTHMANNUS, Theologus eo tempore Roſtochienſis, ad Principes re delata, effecit, ut ab officio ſuſpenderetur LUTKEMANNUS, qui poſtea declaravit, per *tertium* illud non *partem hominis*, ſed *animæ & corporis modum, unionem* nempe, quam & ab utroque *differre realiter* & *ſubſtantiale quid* eſſe ajebat, abs ſe intelligi, atque ea de cau-

§. XI.

Sequuntur XII. argumenta affirmantium, Chriſtum in triduo mortis verum hominem permanſiſſe. Cauſſantur hi I. Chriſtum in triduo mortis non deſiiſſe eſſe Chriſtum, quidquid heic ſomnient SCOTUS & BIEL (*b*), non deſiiſſe eſſe mediatorem, ſponſum & fratrem noſtrum, Sacerdotem, Θεάνθρωπον, ſi verò verus homo in triduo mortis eſſe deſiiſſet, ſi veram humanitatem perdidiſſet, hæc omnia deſitura fuiſſe. Imò addunt II. unionem perſonalem haud ſubſtituram fuiſſe in triduo mortis, ſi Chriſtus non amplius fuiſſet verus homo. Uti enim verus Deus hic requiratur, ita & verum hominem requiri. Jam verò conſtare, unionem perſonalem in triduo iſto illibatam manſiſſe, uti & communionem naturarum, idiomatum & apoteleſmatum. Si itaque Chriſtus in triduo mortis ut homo quoque miracula fecit & virtute vivifica uſus eſt, verus utique homo eſſe debuit. III. Ubi adſunt partes hominis eſſentiales, ſive dein illæ vinculo naturali ſive perſonali unitæ ſint, ibi adeſt verus homo. At-

ſa diſſertationem ſuam Phyſico-Theologicam de vero homine Wolferbyti A. 1650. edidit. Hæſitavit verò, num unio in reſurrectione eadem numero redeat. *Nondum ſatis conſtare*, ait, *qui modi in reproductione iidem numero dici debeant redire, qui diſtincti?* l. c. p. 42. 43. Concludit tamen, *unionem reduci numero* diſtinctam, *quoad unitionis actum*, quùm oporteat animam & corpus de novo uniri, quoad *unionis formam verò ſeu relationem partium unitarum ad invicem* unionem reproductam eandem numero vocari permittit. *Modum totaliter expirantem vix poſſe redire niſi eundem ſpecie* ait. Sed rectè quidem has *λεγαλολογίας* exſibilat rejicitque ABR. CALOVIUS in Syſt. loc. Theol. T. 3. p. 1074. 1075. Non decebat, quæſtiones ejuſmodi ineptas in lucem proferre. (*b*) Vide B. MEISNERI Quæſt vex. II. p. 47.

Digitized by Google

Atqui in Chriſto mortuo adſunt partes eſſentiales, anima & corpus. Ergò. IV. Quod λόγος ſemel aſſumſit, nunquam depoſuit. Atqui verum aſſumſit hominem, ἀνυπόστατον illum. Ergò nunquàm, ne quidem in morte, verum hominem depoſuit. V. Si confitemur in Symbolo, Chriſtum verum hominem eſſe mortuum & ſepultum, utique & in triduo mortis ille verus homo erit. VI. Atqui verò & in ipſo codice ſanctiore Chriſtus mortuus homo dicitur, utique non fictus, ſed verus, Matth XII. 40. Marc. XV. 39. Luc. XXIII. 47. quæ loca non in ampliatione ſed in ſtatu explicanda ſunt. VII. Eadem ſcriptura ſanctior Chriſto mortuo & ſepulto tribuit veram animam & verum corpus humanum. Pſalm. XVI. 9. 10. Act. II. 38. Matth. XXVII. 58. Luc. XXIII. 52. VIII. Si anima, ſi corpus Chriſti in triduo mortis ſubſtitere ſuppoſitaliter, Chriſtus tùm fuit utique verus homo. Id quod oſtendit, ad mortem φιλανθρώπων non eſſe exigendam mortem θεανθρώπου & unionem perſonalem hîc ſupplere defectum naturalis. IX. Si Chriſtus non fuit verus homo in triduo mortis, ergò, ubi reſurrexit, denuò incarnatus eſt. Ergò bis verus homo factus eſt. Ergò bis incarnatus eſt, quod abſonum. X. Si ſanguis verè humanus è latere Chriſti mortui fluxit, idemque expiatorius & ſatisfactorius & θεανθρωπικὸς, Deo perſonaliter unitus *(i)*, ſi

H 2 &

(i) Certè enim ſanguis ille omnis, quem effudit Chriſtus in circumciſione, paſſione & poſt mortem, divinitati ſemper unitus manſit, nec computruit, nec reliquiæ ejus in terris amplius exiſtunt, ſed in reſurrectione reaſſumtus iſte fuit, id quod contra plurimos Pontificios & Reformatos itemque ANDR. OSIANDRUM notant JO. SCHROEDERUS in ſceptro regali Chriſti p. 554. TH. THUMMIUS in continuatione diſſert. de Majeſtate Chriſti, prout in duplici ſtatu eluceſcit,

Digitized by Google

& mors & ſepultura Chriſti tanquam veri Dei & veri hominis in una hypoſtaſi ſubſiſtentis ſatisfaciunt & expiant, ſi corpus Chriſti in triduo mortis nihilominus ipſius Dei corpus extitit vivificamque virtutem ſibi communicatam habuit, corpusque ut veri Dei, ſic veri hominis extitit, Chriſtus utique in triduo mortis verus homo fuit. XI. Si Chriſtus non fuit verus homo in triduo mortis, dicendum erit, non duas ſed tres naturas tunc in una θεανθρώπου perſona ſubſtitiſſe, divinam, naturam animæ, naturam corporis. Anima enim & corpus tunc unam naturam humanam non confecere, ſi Chriſtus verus homo non fuit. XII. Si anima Chriſti in ſepulchro quoque

p. 146. JO. GERHARDUS in error. præcip. Pontif. Calvin. & Photin. labefact. p. 789. 1426. 1428. Theologi Haſſiaci in der gründlichen Ausführung vvider die Caſſeliſche Wechſel-Schrifften f. 799. JO. CONR. DANNHAUERUS in ὁδοσοφία p. 1202. 1203 & μυστηριοσοφία p. 455. J. G. DORSCHEUS in Anti-Cornæo p. 321. ſqq. JO. MEISNERUS in examine Catechiſmi Palatini p. 595. ſqq. ABR. CALOV. in Syſt. Loc Th. T. 7. p. 678. ſqq. & in diſp. de fluxu ſanguinis & aquæ Chriſti-laterali §. 4. JO. CASPAR LOESCHERUS in diſp. Th. de incorruptibili ſanguine JeſuChriſti Wittebergæ A 1691. habitâ & infiniti alii Adde RICH. MONTACUTII origines Eccleſ. T. I. P. 2. f. 250. JAC. BOILEAU diſp. Theol de ſanguine Chriſti poſt reſurrectionem C. XV. p. 141. ſeqq. & inſtitutiones noſtras Theol. P. 2. C. 6. §. 2. p. 432. ſeqq. Quæ ipſa dum ponimus, & illum errorem ſimul ὡς ἐν παρόδῳ orthodoxiæ noſtræ obelo perſtringimus, quo ſtatuitur, Chriſtum poſt reſurrectionem ſanguinem non amplius habere, uti putavit olim Auguſtinus, cujus ſententiam avide ii arripiunt, qui præſentiam realem ſanguinis Chriſti in S. Cœna negant. Quî enim ſanguis Chriſti in S. Cœna adeſſet, ſi Chriſtus ſanguinem amplius non haberet? Urſit hoc argumentum contra Pontificios vel maximè PETRUS ALLIX in diſſ. de ſanguine Chriſti Lutetiæ Pariſiorum A. 1680. editâ, cui

Digitized by Google

que immediatè & ἀδιαςάτως præſens fuit corpori, præſentia ex unione perſonali reſultante, unde & caro Chriſti in ſepulchro nullam corruptionem vidit Act. II 31. Pſ. XVI. 10. nec cadaver nuncupari poteſt, quid vetat, quo minùs dicamus, Chriſtum mortuum & ſepultum verum quoque hominem extitiſſe? Plura ex pharetrâ ſcholaſticâ depromere pro hâc ſententiâ argumenta poſſemus, ſi quidem præfixum numerum migrare nobis jam volupe eſſet *(k)*. Sed ſufficiant hæc, maximè, cùm & inter hæc jam ſint, quæ paululùm claudicent.

§. XII.

Jam verò mirum cuipiam videri poſſit, Viros ſubtiliſſimos & queis nec judicii acies, nec eruditionis copia defuit, tanto conatu heic inter ſe digladiatos eſſe, ubi tota res ad λογομαχίαν tandem devolvitur. Non verò nos ii ſumus, queis primùm hæc in mentem labatur co-

H 3 gitatio,

anno inſequente diſquiſitionem Theologicam de ſanguine corporis Chriſti poſt reſurrectionem ad epiſtolam 146. Auguſtini oppoſuit ibidem JAC. BOILEAU, Theologus Sorbonicus, reſpondente iterum ſed breviſſimè ALLIXIO in expoſtulatione Anagogicis contemplationibus Anaſtaſii Sinaitæ *Londini* A. 1682. præmiſſa f V. VI. Adde JOH. FECHTII *Syll.* Diſp. 25. th. 8. noſtramque diſſertationem Anti-Rogerianam nota (ſſſ) p. 50. 51. Id unum adhuc adjicimus, tenuiſſe quoque Auguſtini ſententiam PETRUM MANSUR in capite de immaculato corpore, cujus participes ſumus. Libellus perperam tribuitur JO. DAMASCENO. Vide editionem LE-QUIENIANAM T. I. f. 652. 658. & diſſert. noſtram Anti-Tourtæanam p. 19.

(k) Vide omninò JO. AD OSIANDRUM in Collegio Theol. Syſtematico P. 4. p. 192. 193. ubi plura adhuc argumenta in hanc rem ponit & contra BEZAM probat, corpus Chriſti mortuum haud dici debere cadaver. Imò & plura argumenta allegat A. VARENIUS in Brev. Theol. p. 51. ſeqq.

Digitized by Google

gitatio, nec fingimus λογομαχίας, ubi non dantur. Viderunt hîc aliquid jam Doctores Scholaſtici, ſed neſcio, num feliciter ſatis λογομαχίαν extricaverint. Ita ALEXANDER DE ALES diſtinxit inter hominem *materialiter* & *formaliter* talem, exiſtimans, prius utique de Chriſto in triduo mortis dici poſſe, poſterius non item *(l)*. BONAVENTURA, Doctor Seraphicus Chriſtum in triduo mortis verum hominem eſſe affirmavit ſecundùm eſſe *aptitudinale*, non ſecundùm eſſe *actuale*. Sed fumi hi ſunt, quos Scholaſtici hi homines vendunt, quos & dudùm diſflavit ex noſtris BALTH. MEISNERUS *(m)*. Nec hilum quoque profeceris hîc, ſi cum eodem MEISNERO & LUTKEMANNO diſtinxeris inter hominem *univocè* & *æquivocè talem*, ajendo, Chriſtum mortuum æquivocum ſaltem hominem eſſe. Etſi enim nolim dicere, quod faciunt diſſentientes, θεάνθρωπον in claſſe prædicamentorum non eſſe adeòque hîc in controverſiam haud venire poſſe, quid de eo univocè prædicetur nec ne, cùm ad prædicatum, quod eſt homo, res hîc devolvatur & humana Chrrſti natura utique in claſſe prædicamentorum ſit, facilè quiſque capit, τὸ *univocum* hîc æquipollere τῷ *vero*. Ita nolim & cum BUCANO diſtinguere hîc inter hominem *naturalem* & *formalem*. Melius ergò rem capiunt eamque acu tangunt, qui cum JO. MEISNERO diſtinguunt inter hominem *phyſicum* & *hyperphyſicum*, optimè, qui cum DANNHAWERO ajunt, Chriſtum in triduo mortis fuiſſe verum hominem ſecundùm æſtimium *divinum*, non *humanum*, vel potiùs, qui cum SCHERZERO ajunt, illum fuiſſe tùm verum hominem ex vinculo *perſonali*, non *naturali* *(n)*. Quæ ipſa jam ſatis

(l) Ita & exiſtimat FABRICIUS in paradoxis Theologicis p. 469.
(m) Quæſt. vex. II. p. 27. ſqq p. 32. 33. *(n)* in Syſt. Th. p. 241.

tis λογομαχίαν manifeſtant. Nec ſanè deeſt nobis autoritas, quâ λογομαχίαν hanc adſtruamus. Certè λογομαχίαν hanc agnovit Theologorum Tubingenſium ſubtiliſſimorum triga, GABRIEL BIEL, qui primus in Univerſitate hâc Theologiam docuit, MELCHIOR NICOLAI & CHRISTOPH. WOELFLINUS. Et GABRIEL quidem expreſsè ait, quæſtionem hanc eſſe magis de termino, quàm de re ipſâ, quia omnes concedant, tùm, quòd anima Chriſti à corpore fuerit ſeparata in morte, tùm, quòd nec corpus nec anima fuerint à verbo ſeparata, tantùm controverti, an ſuppoſitum verbi ſubſiſtens in carne & animâ à ſe mutuò ſeparatis & Verbo unitis debeat nominari homo (o)? MELCHIORIS NICOLAI ſententiam ſic exprimit CHRIST WOELFLINUS: *Supereſt dubium*, an Chriſtus in triduo mortis fuerit homo? *Quæſtionem hanc vexatiſſimam magnus Theologus Dn. D.* Melchior Nicolai *retulit ad quæſtiones & λογομαχίας, ex quibus oriuntur παραδιατριβαὶ 1. Tim. 6, 5.* (p) Addit dein WOELFLINUS, *terminum hominis aut opponi morti Chriſti aut ejus ἐνσαρκώσει & incarnationi, priori ſenſu negandam eſſe quæſtionem, qui enim non ſit vivum quid, eum non poſſe eſſe hominem, poſteriori autem ſenſu negandam non eſſe, cùm toto naturali per mortem ſoluto intra unionem nihilominùs perſonalem permanſerint partes.* Adducit porrò & ſententiam HENR. NICOLAI, qui diſtinguat inter hominem *ordinarium* & *extraordinarium* & ſingularem, inter hominem per nexum *naturalem* animæ & corporis & per nexum eorum *perſonalem*. In quibus *ſepeſitis, quæ hactenùs de hâc quæſtione operosè agitata fuerint*, & ipſe *ACQUIESCIT.* Denique & illam controverſiam, quâ quæritur, *liceatne Chriſti corpus mortuum* cadaver *appellare*, in

λο-

(o) vide ejus comment. in Lombardum L. III. diſt. 22. (p) Ita ferè & GERHARDUS in Harm. Evang. C. CCII. f. 2032. a.

Digitized by Google

λογομαχία conſiſtere obſervat his verbis: *Generaliter vocem pro mortuo corpore, ſenſu & ratione deſtituto, ſumendo uſurpare licet, ut Germanico* leichnam, *non* aas *reſpondeat. Specialiter, ut corpus vitioſum ex invaſione morbi ac putredinis ac ſubjectione vanitatis corruptum, putreſcendum, aut quod omninò putreſcere debeat, notat, non.* Hactenùs judicioſiſſimus WOELFLINUS (*q*). Quin & eandem hanc litem pro λογομαχία declarat biga Theologorum Roſtochienſium præſtantiſſima AUGUSTUS VARENIUS (*r*) & JO. FECHTIUS (*s*). Hinc &, quid de momento & pondere totius hujus quæſtionis jam ſentiendum ſit, patet. En, quid BALTHASAR MEISNERUS ſentiat: *Oblectant & fatigant ſeſe nonnulli hoc problemate, quaſi multum in illo momenti ſit poſitum, quùm tamen non tàm ad ædificandum, quàm ad exagitandum faciat, nec ex limpidis Scripturæ fontibus ſed ex turbidis Scholaſticorum lacunis hauriatur* (*t*). Aliam tamen mentem hîc tenet JOACH. LUTKEMANNUS, Theologus non ob eruditionem ſaltem ſubtilitatemque ingenii, ſed & pietatis ſtudium clarus, qui ita: *Materiam hanc modò pertractatam otioſam eſſe, ſterilem & homine erudito indignam, non poſſum adduci, ut credam. Sæpè, quod uni otioſum, alteri utile apparet. Noli frater, fratrem judicare. Quid, ſi dubium hâc de materiâ tibi occurreret aut alius objiceret? ſi tuam ſententiam quis rogaret? Quid faceres hoſpes in hâc controverſiâ? Diceres, hæc eſſe rejicienda? Non ſatis prudenter. Quæſtiones ineptas, quarum nulla dari poteſt explicatio,*

(*q*) in exercit. de triduo mortis Chriſti p. 26. (*r*) in Brev. Theol. p. 51. (*s*) in Syll. ſelect. controv. diſp. 25. th. 11. (*t*) Quæſt. vex. II. p. 20. Ita ſanè & judicat Facultas Theologica Argentinenſis in reſponſo ad Feurbornium ſuper hâc quæſtione. Vide unſchuld. Nachricht. A. 1714. p. 944 Verba ſunt: *quæſtionem hanc curioſam ſcandali multum, utilitatis parum habere.*

Digitized by Google

catio, nulla probatio, rejicit vir doctus. At noſtra non caret, ut vidimus, fundamentis ſolidis & perſpicuis. In rem præſentem te, vis, ducam? Sit, qui ita ratiocinetur: Quicunque non eſt verè mortuus, ille non eſt verus Salvator. Chriſtus non eſt verè mortuus. Ergo Chriſtus non eſt verus Salvator. *Minor probatur:* Quicunque non deſinit eſſe homo, non eſt verè mortuus. Chriſtus non deſinit eſſe homo, *quia in hypoſtaſi ſuâ retinuit corpus & animam unita.* E. Chriſtus non eſt verè mortuus. *Poſſet, qui ita argumentaretur, in favorem Neſtorii addere, conducibilius eſſe, duas ponere ſubſiſtentias in Chriſto, ut ita minor in poſteriori ſyllogiſmo fieret falſa. Denuò dico, quid faceres hoſpes in hâc materiâ, maximè, ſi quis decretoria tecum pugna certaret?* Oſtendit dein & idem LUTKEMANNUS uſum hujus controverſiæ didacticum, conſolatorium & hortatorium *(u)*. Nos exiſtimamus, eapropter ſaltem operam huic quæſtioni dandam, ut appareat, eam tandem in puram λογομαχίαν abire. Sed in quam, quæſo, prolixitatem præter opinionem noſtram hîc abivimus? E diverticulo, ſi placet, in viam regrediamur.

§. XIII.

Recenſitis itaque eorum hallucinationibus, qui vel in totum vel in tantum perpetuitatem incarnationis Chriſti inficiati ſunt, ſupereſt, ut pauciſſimis argumenta, quæ contra hanc perpetuitatem militare tantiſper videntur, ſolvamus. At verò in dictis jam multa anticipavimus & occupavimus. Pertinet huc primò, quod de derelictione Chriſti in cruce diximus. Nota verò heic, ſi placet, lector, non derelictam eſſe humanitatem à divinitate quoad unionem perſonalem, nec quoad amorem, quo Pater filium eſt complexus, nec quoad ſancti-

 ta-

(u) de vero homine p. 120. ſeqq.

Digitized by Google

tatem, qua hic floruit ſemper, nec quoad auxilium, nam Deus illi ſemper fuit à dextris, ſed quoad influxum & ſenſum ſolatii & gaudii divini, qui ipſi in profundiſſima hâc exinanitione fuit ad tempus ſubtractus, propter nos, ut iram divinam, quam nos ſuſtinere debebamus, pleniſſimè ferret, licet de cætero eadem divinitas virtutem roburque humanitati ſuppeditaverit, ut exinanitionem hanc poſſet ferre & vincere. Sic derelictio hæc non infert humanæ naturæ à divinâ ſeparationem, nec ſublationem totalem aut receſſum interni principii & objecti omnis gaudii, æternæ ſcilicet Deitatis, cum qua humanitas ὑποστατικῶς ſemper fuit unita, ſed tantùm deſitionem & influxum hujus gaudii, idque ad parvum tempus. Non ergo fuit deſertio abſoluta, totalis, æterna, ſed temporalis, partialis & ſecundùm quid. Id quod & Patres veteres paſſim egregiè inſinuant (x). Nec ſanè dicendum, Chriſtum in cruce deſperaſſe, quod blaſphemiam olet. Certè incautè hîc quidam locuti dicuntur & ex Romanenſibus, & ex Reformatis, qui verò hanc phraſin abominantur (y). Sed, ais vix capi poſſe, qui, ſtante unione perſonali, iſta deſertio Chriſto contingere potuerit. Reſpondeo, quid ergò factum, ubi Chriſtus mortuus eſt? Reponis, & hanc novam eſſe cauſam, cur dicendum ſit, unionem perſonalem aliquando ſolutem fuiſſe. At verò mori potuit Chriſtus & pati, etſi à divinitate caro non eſſet ſeparata. Quod eò clarius ex eo patet, quòd divinitas non vivificat *formaliter*, ut anima, quæ tanquam forma corpus informat, ſed *effective* tan-

(x) Vide FRANC. TURRETTINUM de ſatisfactione Chriſti diſp. VII. maximè p. 177. ſqq. Adde J. G. DORSCHEUM in Theol. Zachar. P. 1. p. 171. ſeqq. & JOH. GERHARDUM in Harm. Evang. C. ccII. f. 2012. ſeqq. (y) Confer eundem TURRETTINUM. l. c. p. 181. 182. 283. 284.

tantùm, non ex neceſſitate naturæ, ſed ex liberâ voluntate, unde divinitas humanitati juncta eſſe potuit quoad *vinculum perſonalitatis* (z), etſi eam deſeruerit quoad *influxum vitalitatis & ſuavitatis.* Fuit itaque Chriſtus derelictus *diſpenſativè* & ad tempus ut Sponſor, ſed amatus ſemper *naturaliter*, ut Filius (*). Jam enim non verus homo, ſed Deus, ſed Θεάνθρωπος paſſus eſt, divinâ naturâ paſſionem & mortem ſibi per ἰδιοποίησιν appropriante. Act. III. 15. XX. 28. 1. Cor. II. 8. 1. Pet. IV. 1. Quod reſtat, non opus eſt, ut contortas illas explicationes loci Matth. XXVII. 46, quas paſſim interpretes recenſent, in rem noſtram heic vertamus, eo fine, ut eò faciliùs objectioni datæ obviemus. Unde & noviſſimam illam Fanaticorum quorundam OLIGERI PAULI, CAROLI CAAZII & HENR. BERNHARDI CUSTERI, qui verba: Θεέ μου, Θεέ μου, ἵνα τί με ἐγκατέλιπες, non ita verterunt, Mein Gott, Mein Gott, warum haſt du mich verlaſſen? ſed ita: Mein Gott, Mein Gott, wie ſehr haſt du mich verherrlichet? explicationem facilè miſſam heic facimus (a).

(z) Confer hic omnino IGNATII HYACINTHI AMAT DE GRAVESON tractatum de myſteriis & annis Chriſti Romæ A. 1711. editum diſſ. 21. de ſepultura Chriſti ejuſque deſcenſu ad inferos, ubi inter alia & hoc Thomâ duce defendit, divinam naturam nec ab anima nec à corpore nec à ſanguine Chriſti fuiſſe in triduo mortis ſeparatam, quod memorant Acta erud. Lipſ. A. 1713. p. 538. (*) Hæc egregiè idem TURRETTINUS l. c. p. 179. 180.

(a) Rationem novæ hujus explicationis hanc illi dant. Ajunt, Chriſtum non græcè iſta prolocutum verba eſſe, ſed in dialecto Judæis tunc communi, Syriacâ illâ, ἐλωῒ ἐλωῒ λαμμᾶ σαβαχθανί. Marc. XV. 34. id quod & ex Matth. XXVII. 46. patet, ubi: Ἠλὶ Ἠλὶ, λαμὰ σαβαχθανί. Jam vocem שבח

§. XIV.

Ubi ſupra (*b*) perpetuitatem incarnationis & humanæ Chriſti naturæ ex perpetuitate regni Chriſti θεανθρώπου probavimus, cauſſari quis poſſet, regnum illud æternum non fore. Habetur hanc in rem difficilis, uti arbitror, locus 1. Cor. XV. 24. ſeqq. Dicitur quippe hîc, *Chriſtum traditurum eſſe regnum Deo & Patri, ubi deſtruxerit principatum omnem & omnes hoſtes ſuos ſubjugaverit. Quod ubi factum fuerit, ubi omnia ſibi ſubjecta iis habuerit, tunc Filium ipſum ſubjectum iri illi, qui ipſi omnia ſubjecerit, ut ita Deus ſit omnia in omnibus.* Mirum eſt, quantopere Patres in ſolvendo hoc nodo ſe torſerint. DION PETAVIUS, ubi JO. CRELLIUM, hominem Socinianum, ex hoc loco contra divinitatem Chriſti & perpetuitatem regni ipſius arguentem, inſurgit, ea Patrum loca conglomerat, queis ſtatuunt, in Chriſti perſonam hîc transferri, quæ ſint ipſius corporis, electorum nempe.

& Syriacè ſignificare *glorificare*. Nec ſane hîc recurrendum eſſe potius ad verbum שבק, quod eſt *deſeruit*, non enim haberi in Græco σαβαχθανὶ ſed σαβαχθανὶ. Sed miſera hæc ſunt. Jam enim τὸ ק ſubinde per χ exprimi, nihil eſt, quod impediat, cum Hebræa tàm adcuratè à Galilæis & Græcis haud exprimantur. Hîc certè res ita ſe habet. Etenim nova iſta interpretatio & rei ſubſtratæ atque contextui & ipſi interpretationi Evangeliſtæ divinitus inſpirati & Pſalm XXII. 2. unde deſumta verba ſunt, prorſus non congruit. Conſ. D. JO. GUIL. PETERSENII *Schrifftmäſſige Erforſchung des Wortes* שבקתני *oder* σαβαχθανὶ, 1701. 4. & GILB. LEIDINGII tractatum Germanicum: *Daß die Worte Chriſti* Ἠλὶ, Ἠλὶ, λαμὰ σαβαχθανὶ *von dem heiligen Geiſt ſelbſten durch* Θεέ μου, Θεέ μου, ἵνα τί με ἐγκατέλιπες, *und dem zu folge von der gantzen Chriſtenheit durch* Mein Gott, Mein Gott, warum haſt du mich verlaſſen, *recht überſetzet, wider* Oliger Paulli *bewieſen.* Hamburg 1704. 8. (*b*) C. II. §. 1. p. 30.

pe. Quando igitur hoc corpus fuerit completum & omnes electi in unum fuſi, tunc traditionem illam Chriſti factum; tunc Chriſtum in electis ſuis ſubjectum iri Patri, ut hic ſit omnia in omnibus. Nolumus loca iſta hùc transferre, quæ apud PETAVIUM legi poſſunt (c). Id unum capere haud poſſumus, quî vir doctus affirmare ſuſtineat, nihil hâc explicatione præſtantius, nihil ad Photinianorum reprimendam temeritatem validius afferri poſſe, cùm contorta hæc ſint & difficilia (d). Certè vident hæc homines acuti, queis ſolidiora opponenda ſunt, ne in ſinu ſuo gaudeant & de victoriâ reportatâ ſibi gratulentur. Unde meliora ſunt, quæ PETAVIUS ipſe ex proprio fundo depromit. Ubi enim CRELLIUS dixerat, Chriſtum, qui regnum Patri ſit traditurus, depoſiturum illud, quemadmodum Dux à Rege aliquo cum exercitu & imperio miſſus, partâ victoriâ, confectoque bello, poteſtate & imperio ſe abdicans id reſtituat Principi, addens, ex hoc ipſo patere, Filium, quòd ipſemet quoque Patri ſit ſubjiciendus, non eſſe Deum, quia Deus ſummus nemini poſſit ſubjici, ita infit PETAVIUS: *Atqui nihil in tàm futili argumentatione cunctandum eſt*

(c) de Trinit. L. III. C. 5. §. 2. Adde & de incarn. L. II. C. 8. §. 7. Præcipuus, qui inter Patres Paulinum hoc effatum ita interpretatur, eſt GREGORIUS NYSSENUS, cujus peculiaris in hunc locum proſtat oratio, quâ & omnis mali deſtructionem per hanc ſubjectionem denotari aſſeverat eandemque *τὴν πάντων ἀποκατάστασιν* innuere videtur, quam olim ſtatuit Origenes noſtroque ævo in ſcenam reduxit Vir celeberrimus, JO. GUIL. PETERSENIUS. Et verò ita non tantum in illâ oratione locum iſtum Paulinum Gregorius iſte explicat, ſed & alibi. Confer opera ipſius T. 2. f. 6. ſeqq. edit. Pariſ. 1638.

(d) Confer tamen & F. TURRETTINUM in Inſtit. Theol. Elencticæ L. 14. Qu. 17. §. 10. ſqq. p. 537.

Catholico. Nam prior hoc ſumit, quod neque nos concedimus & verò dictu eſt nefarium. Quis illum docuit, aut qua ratio perſuaſit, ſic habendum eſſe Chriſtum, uti eſt à Rege creatus quiſpiam & ad certum tempus conſtitutus imperator? Certè hoc ſacrilegum commentum Gabriel Angelus excluſit, cum beatam Virginem adiens ſic eam affatus eſt: Et dabit illi Dominus ſedem David Patris ejus & regnabit in domo Jacob in æternum & regni ejus non erit finis (*e*). *Hoc autem regnum idem eſt cum eo, de quo Paulus loquitur, eſtque totius Eccleſia regnum: cui poſt victoriam de hoſtibus triumphanti, uti nunc decertanti, perpetuò Chriſtus præerit. Hic igitur, quà homo, ſed ut idem interim cogitetur Deus, paullatim ſibi ſubjicit omnia, quod necdum eſſe factum alibi (f) teſtatur Apoſtolus. Id cùm factum erit, evolutis mortalis vitæ curriculis, tùm demùm collectum ex electis omnibus regnum ac nullâ ſui parte defectum ſiſtet Patri Deo Chriſtus & offeret: non ut velut in ordinem coactus regnare deſinat, ſed ut communiter cum eo imperet jam integra & perfecta multitudini ſanctorum.* Regnat itaque Dominus, *ait Hilarius in Pſalmum CXLIX.* non regni poteſtate cariturus, ſed nos, qui regnum ejus ſumus, Deo Patri traditurus in regnum. Regni traditio noſtra provectio eſt, ut, qui in regno Filii erimus, in regno quoque ſimus & Patris. *Vide Cyrillum Al. libro XI. in Joannem C. VIII.* (*g*) Idem PETAVIUS dein (*h*) & hoc obſervat ex AMBROSIO, quemadmodum hoc loco dicatur de Patre, eum fore *omnia in omnibus*, ita idem & pronunciari alibi (*i*) de Filio. Jam verò & luculenter in explicatione loci hujus tàm difficilis ex Patribus verſatus fuit CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS, qui in Catecheſi

(*e*) Luc. I. 33. (*f*) Hebr. II. 8. (*g*) Hæc PETAVIUS de Trin. L. III. C. 5. §. 1. (*h*) §. 2. (*i*) Col. III. 11.

techeſi XV. ubi verba iſta οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος explicat, de regno Chriſti perpetuo datâ operâ agit (*k*). Præcipuæ ipſius reſponſiones ſunt, conſtare primò ex tot ſacræ ſcripturæ locis, quæ & allegat, regnum Chriſti fore æternum, itaque ſenſum Pauli hunc eſſe non poſſe, quòd Chriſtus regnum ita depoſiturus ſit ut non ampliùs regnaturus, ſecundò ſubjectionem illam Chriſti non ita intelligendam eſſe, acſi Filius tùm demùm Patri ſit pariturus, ſed eſſe ſaltem continuationem ſubjectionis ejusque liberrimæ & voluntariæ, denique illud *donec poſuerit inimicos ſuos ſub pedes ſuos*, illud, inquam, *donec* non ſemper indigitare finem, uti pateat ex Rom. V. 14. 2. Cor. III. 14. X. 14. 15. Hebr. III. 13. (*l*) Pathetica autem maximè illa CYRILLI adverſus Marcellianos vox eſt: *Jam ergò, O omnium maximè impii, vos Chriſti opificia æternùm manebitis, Chriſtus verò, per quem & vos & omnia facta ſunt, interibit funditùs? Blaſphema vox ſanè. Quomodo autem ſubjicientur ipſi omnia? intereuntia-ne an manentia? Ergòne cætera, quæ Filio ſubjicientur, manebunt, Filius verò Patri ſubjectus non manebit?* Hæc CYRILLUS (*m*). Aſt nec hæc hactenùs ſolvunt nodum. Conſcripſit egregiam de loco, cui explicando hîc incumbimus, diſſertationem B. Parens noſter, cùm in Univerſitate hâc Tubingenſi A. MDCCV. pro loco diſputaret, *de fine Oeconomiæ Chriſti*, quam ſub ejus præſidio tùm defendimus, quam & ille dein contra objectiones celeberrimi Viri, JO. GUIL. PETERSENII (*n*) defenſam & auctiorem A. MDCCXIII luci reddidit. Heic verò idem explicationem orthodoxam in hunc brevitatis nervum contrahit (*o*): *Chriſtus regnum non vindicabit ſibi*

bi

(*k*) §. XXVII. ſqq. (*l*) Alios Patres, qui explicant illud *donec*, allegat PETAVIUS de incarn. L 12. C. 18. §. 8. (*m*) §. XXX. (*n*) Vide die wiederbringung aller Dinge T. 3. f. 177. ſqq. (*o*) p. 3. 4.

bi ſoli, ut Nebucadnezar Dan. IV. 26. nec cedet ὑποπόδιον, ex- Rex enim non fiet Mich. IV. 7. nec tantùm Deo acceptum feret, ut Eltus ſ. h. l. vult f. m. 331. b. nec in Patrem transferet, quaſi pòſt Pater per ſceptrum verbi medios inter hoſtes regnaturus eſſet, erit enim Pater omnia in omnibus immediatè verſ. XXVIII. ſed tradet *tantùm οἰκονομικῶς ſeu cum ceſſatione diſpenſationis organica, i. e. adminiſtrabit regnum non ampliùs per verbum & ſacramenta, nedum medios inter hoſtes.* Addit dein verba JO. GEORG. DORSCHEI, qui ait, *traditionem hanc non eſſe actum depoſitionis ſed propoſitionis, ubi Filius Deo Patri regnum ſit traditurus. ad luſtrationem quaſi & gloriam, ſicut belli Dux, deſtructis hoſtibus, è pugnâ rediens exercitum victorioſum Regi præſentet, nec tamen deponat poteſtatem, quam in exercitum habuerit.* Digna ſunt verba DORSCHEANA, quæ in fontibus legantur (*p*). **Unum hoc addimus; Tradidit Pater Chriſto** judicii extremi adminiſtrandi poteſtatem, quæ regii officii Chriſto collati magna pars eſt. Dan. VII. 13. ſeqq. Matth. XXIV. 30. ſqq. XXV. 31. ſqq. XXVI. 64. Luc. XXI. 27. Joh V. 22 27. Act. X. 42. XVII. 31. Rom. II. 16. 2. Cor. V. 10. 1. Theſſ. IV. 16. Apoc. I. 7. Finito verò hoc judicio perſonam hanc œconomicam deponet Filius Patrique ſine iſto charactere œconomico erit ſubjectus ſimpliciter ut Mediator & homo regnumque tradet, ita tamen, ut ipſe ſimul regnare tanquàm Deus, imò ϑεάνϑρωπος, id quod communicatio idiomatum requirit, cum Patre pergat. Eſt enim Deus Patri æqualis & coëſſentialis, qui, Patre regnante, non poteſt non & ipſe regnare, vi communis eſſentiæ, majeſtatis & dignitatis. Regnare enim ſic debet, ne & Pater non regnet. Cæterùm ex hoc

(*p*) in Theol. Zachar. P. 2. diſp. 7. §. 7. p. 256. 257. Adde DANNHAWERI Hodoſ. Phæn. 8. p. 780. 781.

hoc ipſo, quòd Filius, ut homo, ſubjectus erit Patri, arguit AUGUSTINUS, humanam ipſius naturam olim non deſituram (*q*). Quod ipſum argumentum fortiſſimè MARCELLUM ferit, cui favent prorſus, quæ in hunc locum commentatus eſt GREGORIUS NAZIANZENUS, cujus verba infra (*r*) damus.

§. XV.

Reſtat ultima, quæ hîc nobis obverti poſſet, objectio, inde petita, quod ex perpetuitate ſacerdotii, quod Chriſtus gerit, ſupra (*s*) perpetuitatem humanæ Ipſius naturæ quoque arguerimus. Scilicet cauſſari quis poſſet, ſacerdotium Chriſti non eapropter vocari æternum, quòd ipſum in ſe æternum ſit, ſed ſaltem eapropter, quòd Chriſtus in hoc ſacerdotio ſucceſſorem non habeat, qualis æternitas & Sacerdotio Melchiſedeciano adſcribatur Hebr. VII. 3. & quòd fructus Sacerdotii divini ſit æternus. Jam enim, cùm ſacerdotium in duabus conſiſtat partibus, *ſacrificio* & *interceſſione*, facilè patere, quòd Sacerdotium Chriſti in die ſaltem noviſſimo ſit finiendum. Sacrificium quippe eſſe conſummatum in cruce Rom. VI. 10. Hebr. VII. 27. IX. 12. 26. 28. 1. Pet. III. 18. interceſſionem verò finitum iri in noviſſimo die, uti ajant præſtantiſſimi ex noſtris Theologi, JUSTUS FEUR-

K BOR-

(*q*) de Trinitate C. 8. (*r*) Ita autem ille orat. 36. in apologetico f. 581. ἔςαι δὲ ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσιν ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἀποκαταστάσεως, οὐχ ὁ πατὴρ, πάντως εἰς αὐτὸν ἀναλυθέντος τοῦ υἱοῦ, ὥσπερ εἰς πυρὰν μεγάλην λαμπάδος πρὸς καιρὸν ἀποσπασθείσης, εἶτα συναφθείσης. *Erit autem Deus omnia in omnibus in tempore reſtitutionis, non Pater, reſoluto videlicet penitus in ipſum Filio, non ſecus, ac ſi fax aliqua ad tempus ab ingenti rogo abſtracta et rurſus conjungatur.* Hæc GREGORIUS, quæ ipſiſſimam MARCELLI ſententiam exprimunt. (*s*) C. II. §. 1. p. 30. 31.

BORNIUS (β), JO. CONR. DANNHAWERUS (ι), JO. FRID. KÖNIGIUS (u), JO. ADAMUS SCHERZERUS (x) & JO. ADAMUS OSIANDER (y). Nec dici poſſe, ſacrificium Chriſti demùm in cœlis perfectum iri, utpote quod maximè conſiſtat in ἐμφανισμῷ Ipſius pro nobis, ubi Chriſtus Deo Patri corpus ſuum & merita & cicatrices (z) ſit oſtenſurus & coram Ipſo ſe præſentaturus regnumque gloriæ adminiſtraturus, hoc enim commentum Socinianorum eſſe, qui hîc à noſtris plurimùm vapulent (a), nec hoc quoque regeri poſſe, interceſſurum utique eſſe Chriſtum pro nobis in æternum, interceſſione verò non expreſsâ ſed interpretativâ. Etſi enim & ex noſtris Theologis plurimi ſint, qui interceſſionem non expreſſam ſed ſaltem interpretativam Chriſto in cœlis tribuant, ÆGIDIUS HUNNIUS, FRID. BALDUINUS, CASP. ERASMUS BROCHMANDUS, JO. MUSÆUS & FRIDEM. BECHMANNUS (b), tamen hanc

(β) in faſc. VI. controv. Theol. diſp. 9. §. 25. ſqq. & in Syntagm. 1. diſquiſ. Sacr. P. 3. diſſ. 3. §. 47. 48. Opp. Theol. p. 719. ſeq. 1316.
(ι) in Hodoſoph. phænom. VIII. p. 725. 726. (u) in Theol. poſit. P. 3. §. 239. (x) in Syſtem. Theol. Loco 8. de Chriſto §. 23. p. 217. & in breviculo Theol. §. 53. p. 68. ſeqq. ubi & LUTHERI & GERHARDI affert loca, queis interceſſionem Chriſti poſt conſummationem ſeculi ceſſaturam eſſe ajunt.
(y) in Collegio Scherzeriano MS. Dec. V. quæſt. 6. & in diſp. Theol. de interceſſione Chriſti & Spiritûs S. qu. 3. p. 11. ſeqq. ubi ABR. CALOVIUM prolixè refutat. (z) Ita enim maxima Theologorum noſtrorum pars ſtatuit. Vide QUENSTEDII Syſt. Theol. P. IV. C. 19. S. 2. Qu. 4. f. 622 ſqq. (a) Vide eundem QUENSTEDIUM l. c. P. III. f. 285. ſqq. Autoresque ab eodem allegatos. (b) Vide der Jeniſchen Theologen auſsführliche Erklærung über 93. vermeinte Religions-Fragen p. 535. ſeqq. ubi iidem interceſſionem interpretativam vocant *realem*, interceſſionem verò expreſſam *verbalem*. JO. GERHARDUS,

hanc ſententiam aliâs à noſtris in Socinianis, Romanenſibus, Reformatis & quibusdam Patribus rejici, cùm intercesſio interpretativa ſit impropria, æquivoca & nulla (*c*). Neque denique dici poſſe, interceſſionem illam pro nobis, quæ Chriſto poſt diem noviſſimum adſcribatur, non ampliùs tùm fore *formalem*, ut anteà, ſed *effectivam*, ita ut preces ipſe & laudes divinas in iis excitaturus ſit, qualiter de interceſſione Spiritûs S. aliâs maxima pars Theologorum (*d*) ſentiat. Hanc enim interceſſio-

JO. GUIL. BAIERUS & JO. FECHTIUS ἐπέχουσι. Vide BAJERI comp. Theol. poſ. P. 3. C. 2. ſect. 3. §. 13. nota (d) pag. 627. 628. & FECHTII Syllogen controv. ſel. diſp. 24. n. 8.

(*c*) Conf. FEURBORNIUM l. c disp. 6. p. 654. ſqq. Calov. in Syſt. Theol. T. 7. P. 539. ſqq. QUENSTED. in ſyſt. Theol. P. 3. f. 329. ſeqq. autoresque ab ipſo citatos, & vel maximè OSIANDRUM in citatâ diſp. Qu. 2. p. 7. ſeqq. (*d*) Catalogum eorundem dat ABR. CALOVIUS in Syſt. Theol. T. VII. p. 580. ſeqq. ubi, poſtquam adduxiſſet ſuffragia Patrum, Romanenſium, Reformatorum, noſtrorum quoque Theologorum calculum ſubjungit, Lutheri, Melanchthonis, Æ. Hunnii, Mylii, Balduini, Welleri, Rungii, Selnecceri, Brentii, L. Oſiandri, Matth. Flacii, Glaſſii, Gerhardi, Tarnovii, licet eorum omnium mentem haud ſatis cepiſſe videatur, queis & adhuc aliquot Reformatos & H. Grotium ſubjungit, atque & Feurbornium & Dannhauerum addit, de quibus mox. Certè & Calovii ſententiam hîc tenet QUENSTEDIUS in Syſt. Theol. P. III. f. 259. ſeqq. Aſt formalem Spiritûs S. interceſſionem inter noſtros ſtatuerunt poſt veteres quosdam, maximè STEPH. GERLACHIUM, J. C. DANNHAUERUS in Hodoſ. phœn IX. p 749. ſqq. ubi ait: interceſſionem Spiritûs S. eſſe I. ἀλάλητον, II. effectivam, tranſitivam & hiphilicam, III. unum cum precibus noſtris ἀποτέλεσμα formantem, IV. formalem, ubi denique addit indicem conſentientium Patrum & Theologorum noſtrorum. Maximè verò ſpectat huc in diſp. cit. J. A.

ceſſionem effectivam, uti ex termino liqeat, rurſus propriam non eſſe, imò nec capi quoque poſſe, cur ipſi apud Deum in æternitate interpellent fideles, plenæ beatitudinis compotes. Itaque, cùm Chriſtus poſt noviſſimum diem non ampliùs ſacrificet, non ampliùs intercedat, Ipſum quoque non ampliùs Sacerdotem fore adeòque Sacerdotium Ipſius æternum non eſſe. Jam verò ad has objectiones omnes multa ſunt, quæ reſponderi poſſent. Poſſet dici I. Socinianum id eſſe, ubi dicatur, Chriſtum eapropter ſaltem æternum ſacerdotem in ſacris literis dici, quòd ſucceſſorem in ſacerdotio non habeat *(e)*, ficulneumque hoc eſſe, cùm vox æternitatis utique preſſius ſumenda veniat totiesque hoc in ſcripturis diviniori-
ribus

OSIANDER qu. 5. p. 23. ſqq. ubi & ex Romanenſibus conſentientes allegat Thomam Aquinatem & Cornelium à Lapide, cùm aliam viam heic ineant Buſæus, Barradius, Eſtius, denique & Petavius de Trin. L. II. C. 6. §. 5. qui itidem Patrum dicta dat & primò eorum opinionem refutat, qui Rom. VIII. 26. per πνεῦμα non intelligunt Spiritum S. ſed ſpiritum orationis, poſteà ait, ὑπερεντυγχάνειν non eſſe *interpellare* ſed *interpellare nos facere*. Cæterùm *effectivam* ſaltem Spiritûs S. interceſſionem ſtatuerunt primùm JO. GERHARDUS in Harm. Evang. C. CLXXVI. f. 1305. & JUSTUS FEURBORNIUS in faſc. IV. Controv. Theol. diſp. 9. §. 42. 43. Opp. Theol. p. 724. qui verò poſtea ſententiam mutârunt & formalem quoque ſtatuerunt, ille in Schola pietatis P. 3. C. 21. p. 592. hic in Syntagm. I. diſquiſ. Sacr. P. 3. diſſ. 3. §. 28. ſeqq. Opp. pag. 1304. ſqq. quod egregiè obſervavit J. H. FEUSTKINGIUS in palinodiâ ſacrâ ſive in ſchediaſmate de retractationibus Theologorum §. 42. p. 107. ſqq. Sed ſolidior utique eſt ſententia, quæ effectivam cum formali ſtatuit.

(e) Vide FEURBORNII opp. Theol. p. 722. & CALOVII Syſt. Theol. T. 7. p. 539. Adde OSIANDRI diſp. cit. qu. 3. p. 13. 14.

ribus repetatur. Dici II. poſſet, Melchiſedecum illum eſſe ipſum Chriſtum incarnationi præludentem, quam ſententiam peculiari libello defenſum ivit JAC. GAILLARDUS (*f*). Sed hanc ſententiam noſtram non facimus. Neſcio autem, num ſtatuendum ſit, commata, 1. 2. 3. uſque ad vocem μένει parentheſi includenda, ut τὸ μένει ad Ἰησοῦν ἀρχιερέα Hebr. VI. 20. referri poſſit, vel num poſt τοῦ Θεοῦ ante vocem μένει ſupplendum ſit ὅς, quod utrumque durum eſt. Malim dicere, quòd perpetuum ſacerdotium hîc adſcribatur Melchiſedeco, quia de morte ejus in ſacris pandectis nil legitur, nil & de ſucceſſoribus, uti dicitur ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων. Sed tranſeant hæc. III. poſſet regeri, non malè concedi, quòd ſacerdotium Chriſti eapropter æternum ſit, quòd fructus ejus ſit æternus. En, quid ajat acutiſſimus noſter Anteceſſor OSIANDER: *Sicuti Chriſtus in æternum manebit Redemtor noſter & Victor Diaboli, tametſi poſt noviſſimum diem denuò paſſurus & moriturus non ſit &c. quia obedientiam ipſius certo olim tempore præſtitam Deus Pater intuetur ut perpetuò efficaciſſimam, ita idem quoque in æternum eſt noſter Sacerdos, etſi poſt noviſſimum diem non ulteriùs ſit oraturus pro nobis* (*g*). Et hæc ſanè reſponſio nodi ma-

 gnam

(*f*) Titulus eſt *Melchiſedecus Chriſtus, unus Rex juſtitiæ, Rex pacis.* Amſtelod 1693. 8.

(*g*) in diſp. cit. q. 3. p. 13. Ita & DORSCHEUS: *Falſum eſt, illum non poſſe dici ſacerdotem, qui nullum habeat ſacrificium, quod offerat. Poteſt enim eſſe ſacerdos, imò excellentiſſimo modo Sacerdos ille eſt, qui tale habet Sacrificium, quod ſemel oblatum nullam ampliùs relinquit uſpiam offerendi cauſam. Non enim perfectionis eſt ſed imperfectionis in Sacerdote, teneri ad ſæpius offerendum, occupari circa ſacrificium iterabile.* Hæc DORSCHEUS in Pentadecade diſſert. Theol. p. 503.

Digitized by Google

gnam partem ſolvit. IV. poſſet reſponderi, etſi ſacrificium corporis Chriſti dudùm perfectum ſit & repeti nequeat, eſſe tamen ſacrificium laudis, quod in omnem æternitatem Chriſtus Deo Patri ut Sacerdos ſit oblaturus. V. & id poſſet reponi, non adeò exſibilandam eſſe eorum Theologorum ſententiam, qui exiſtimant, Chriſti pro nobis interceſſionem, quemadmodum æterna eſt à parte ante (*h*), (ignoſcat lector termino barbaro,) ita & æternam fore à parte poſt. Id certum eſt, Chriſtum adhùc in cœlis pro nobis interpellare Rom. VIII. 34. 1. Joh. II. 1. Num autem poſt diem quoque noviſſimum adhùc ſit interceſſurus, alia quæſtio eſt. Probat id ABR. CALOVIUS argumentis XVII in Syſtemate locorum Theologicorum (*i*), quæ refellit OSIANDER data opera (*k*). Provocat autem CALOVIUS primò ad Ebr. VII. 25. Sed rectè monet OSIANDER, *tamdiu* ſaltem *Chriſtum, qui ſemper vivit, intercedere dici, quamdiu ſalvet accedentes ad Deum*, adeòque, quemadmodum adductio ad ſalutem non ſit perpetua, ſed ſaltem fructus, ita idem de interceſſione dicendum eſſe. Addit CALO-

(*h*) Ita ſanè ſtatuit J. FEURBORNIUS Controv. Th. faſc. IV. diſp. 9. §. 2. ſeqq. Opp. Theol. p. 714. ſeqq. & J. G. DORSCHEUS in Pentad. diſſ. Theol. p. 539. Ratio eſt in promtu, quia ab æterno Filius Patri ad redimendum genus humanum ſe obtulit, & meritum ipſius jam valuit, unde dicitur *agnus mactatus ante fundationem mundi* Apoc. XIII. 8. Ita & CALOVIUS in Syſt. Theol. T. 7. p. 551. Sed adde J. A. OSIANDRUM in diſp. cit. Qu. 3. p. 18. ubi ait, interceſſionem Chriſti anteſæcularem eſſe ſaltem *interpretativam*.

(*i*) T. VII. p. 534. ſeqq. (*k*) in diſp. Theol. de interceſſione Chriſti & Spiritûs S. reſpondente tùm Viro digniſſimo, PHIL. HENR. WEISSENSEE, Abbate nunc Blabyrenſi præſtantiſſimo A. MDCXCV. hic loci defenſâ, Qu. 3. p. 14. ſeqq.

Digitized by Google

LOVIUS Hebr. IX. 24. 25. aitque Chriſtum ingreſſum eſſe in cœlum, ut appareat coram Patre pro nobis, prout Pontifex ingreſſus fuit in Sanctum Sanctorum, ut oraret pro populo. Sed nec typus antitypo ex toto reſpondet, nec *perpetua* interceſſio hinc ſequitur. Tertium argumentum petitum ab æternitate Sacerdotii Chriſti jam jugulavimus. Quartus medius terminus ex Rom. VIII. 34. deſumtus probat quidem interceſſionem Chriſti in cœlis ſed non perpetuam. Idem de loco quinto de 1. Joh. II. 1. dictum eſto. Sextum argumentum ex perpetuitate officii mediatorii deſumtum jam in prioribus ſolutum eſt, & ſufficere poteſt perpetuitas regni quoad exercitium. Septima objectio ex Ebr. XIII. 8. petita ſtatim diffluit, ſi oſtendas, reſtringenda hæc vel ob ſolam hanc rationem eſſe, quod ſtatui exinanitionis ſtatus exaltationis ſucceſſit. Octavum argumentum CALOVII hoc eſt: *Si Chriſtus poſt diem noviſſimum neque ſacrificat, neque intercedit, non eſt Sacerdos, cùm duæ ſint ſaltem ſacerdotii partes iſtæ.* Sed reſpondetur, & ſacerdotium his duobus non abſolvi, uti mox dicemus, & exercitium actuale perpetuum haud requiri ad ſacerdotii durationem æternam, uti, quemadmodum jam diximus, Chriſtus Redemtor noſter in æternum eſt, etſi opus Redemtionis in cruce conſummatum ſit. Duæ rationes ſequentes ab analogia officii Regii & Prophetici utriusque perpetui deſumtæ Sacerdotii quidem perpetuitatem tantiſper probant, ſed non interceſſionis. Locus Apoc. VIII. 3. 4. non agit de Eccleſiâ poſt diem extremum triumphante, uti ex contextu liquet. Idem de Apoc. V. 8. dictum eſto, ut taceam, προσευχὰς illas, uti contextus docet, in laudibus ſaltem conſiſtere, quas & Chriſtum fu[illegible] in æterni-

Digitized by Google

æternitate orant, ergò & Criſtus. Argumentum proximum ſua ſponte cadit: *quicunque jam pro nobis interpellat, ille* in perpetuum *interpellat.* Nec opus eſt, ut differentia inter angelos & beatos in æternitate & hæc ſit, quòd pro his Chriſtus tùm interceſſurus ſit, non pro illis. Porrò falſum hoc eſt, quòd nulla ratio poſſit afferri, cur Chriſtus ab æterno interceſſerit & in perpetuum non intercedat. Poſtremæ rationes ad autoritatem Patrum & Theologorum (*l*), perpetuitatem interceſſionis ſtatuentium, imò & diſſentientium, queis ſubinde veritas præter opinionem dicta fuerit, provocant. Quod Patres attinet, conferendus prorſus hic eſt PETAVIUS (*m*), qui loca, ut ſolet, conglomerat, ex quibus patet, diverſas ipſos in vias & hìc abiiſſe, eſſe, qui interceſſionem ſaltem interpretativam, eſſe, qui expreſſam ſtatuant, eſſe, qui interceſſionem in cœlis nullam, eſſe, qui θελικὴν, quod abſonum, eſſe, qui temporalem, eſſe, qui perpetuam ſtatuant. Cæterùm omnia ſuffragia à CALOVIO producta interpellationem quidem ſed non perpetuam ubique inſinuant, quod rectè monuit OSIANDER (*n*), cujus & rationes jam audiendæ ſunt, queis conficit, interceſſionem Chriſti poſt judicium extremum non ampliùs continuatum iri. Ait igitur I. interceſſionem Chriſti ſpectare ad Eccleſiam colligendam, conſervandam & defendendam. Aſt negabunt diſſentientes, quòd ſaltem hùc ſpectet. II. Interceſſionem Chriſti fieri pro peccatoribus 1. Joh. II. 1. 2. qui in altera vitâ non ſint, ſed regerent ii, in hoc loco ſaltem de interceſſione in hac vita agi. III. Beatos ter

(*l*) Et certum utique eſt, maximam Theologorum partem interceſſionem perpetuam ſtatuere. Nominavimus eos, qui diſſentiunt. Iis, quos CALOVIUS citavit, adde QUENSTEDIUM in Syſt. Theol. P. 3. f. 258. 259. (*m*) de incarn. L. XII. C. 8. (*n*) diſp. cit. qu. 3. p 19.

Digitized by Google

in cœlis in bono jam confirmatos eſſe adeòque nulla interceſſione indigere, ut in beatitudine ſerventur. Sed dicet diſſentiens, pro multis orandum eſſe, quæ tamen aliter ſe habere non poſſint & certò eventura ſint. Ita oramus, *adveniat regnum tuum.* Ita Chriſtus oravit pro ſui glorificatione Joh. XVII. 1. ſeqq. IV. nullam eſſe rationem interceſſionis Chriſti in beatâ æternitate. Sed ait CALOVIUS (*o*), Chriſtum 1. oraturum pro perpetuâ conſervatione beatorum in ſtatu gloriæ, 2. pro æterna beneficiorum morte ſuâ partorum applicatione, 3. eo fine, ut à beatis propter iſtam interceſſionem æternùm ametur, colatur & celebretur, 4. ut amorem ſuum beatis ſic in æternum teſtatum faciat, 5. ut beatitudinem noſtram eò certiorem reddat, 6. ut preces, quas beati ad Deum fundent, Ipſi ſuâ hâc interceſſione offerat. Aſt facilè quidem hæc omnia Megalander noſter Tubingenſis diſcutit (*p*). Noſtram ſententiam, quâ totum confici opus poſſe arbitramur, ſic promimus. I. Sacerdotium Chriſti æternum, non ſaltem fructus ejus æternus ſtatuendus eſt. II. Æternitas hæc eſt abſoluta, non periodica, utpote in conſummatione ſeculi finem ſuum habitura (*q*). III. Æternitas hæc exinde prorſus non æſtimanda eſt, quòd Chriſtus in Sacerdotio nullum ſucceſſorem habet. IV. Chriſtum poſt conſummationem ſeculi pro beatis non interceſſurum amplius eſſe ulla ratione, valde probabile eſt (*r*). Quî enim intercedi pro

L iis

(*o*) l. c. p. 552. ſeqq. (*p*) l. c. p. 18. 19. (*q*) Vide FEURBORNII Opp. Theol. p. 721.

(*r*) Itaque ergò in ſententiam OSIANDRI noſtri deſcendimus prorſus. Cæterum clariſſimum utique eſt, controverſiam [illegible]

iis poſſit, qui prorſus nequeunt labi ampliùs & immediatè Deo fruuntur, vix capimus. V. Sacerdotium ſacrificio & interceſſione non abſolvitur. Cur ἐμφανισμὸς Chriſti coram Patre, quo & ſanguinem ſuum & merita in perpetuum Patri præſentia exhibet Hebr. IX. 24. cur benedictio, cujus largum pelagus in beatos idem effundet, cur laudes illæ, quas ille, ut Mediator, Deo Patri ob glorificationem ſuam, ob fideles ſalvatos dicet, & quæ in ſacris literis expreſſè ſacrificium nuncupantur, ad Sacerdotium Chriſti ejusque exercitium haud pertineant, haud video. Taceo, lumen iſtud immediatum, quod beatis affuſurus eſt Chriſtus in perpetuum, ad officium quoque Sacerdotale, uti ad propheticum referri poſſe. Facilis itaque rei enodatio eſt, ſi ideas ſaltem affuſâ judicii præſtantioris lucernâ, uti par eſt, ordines & ſolidè inſpectas.

§. XVI.

Atque ita quidem diatribæ ſatis prolixæ finem tandem imponimus. Sed ais, lector, non apparere, cui uſui omnia hæc ſcribantur? Tot cumulari hîc in diatribe quæſtiones, curioſas illas & eruditas quoque forſitan, quæ verò ad ædificationem prorſus nîl faciant, ad quam tamen omnia referenda ſint. Et fateor ſanè, eſſe hîc quædam, quæ ſubtilitatem Scholaſticam redoleant, haud magni futuram in praxi Chriſtianâ ponderis. Aſt verò oſtendimus hîc ſatis, ut arbitror, quomodo iſta capienda ſint & quantum iis pretium conſtituendum ſit. Neſcire autem

λογομαχίαν inter diſſidentes interceſſiſſe. Vide Harmoniam ipſius Theologicam ſeu conſenſum orthodoxum in loco de Chriſto, exemplo 15 p. 12. ſqq. Scilicet non fingendæ ſunt logomachiæ, ubi non ſunt, ſed, quod res eſt, ingenuè fatendum.

tem iſta Theologi non debent, ne de iis, quæ ignorant vel haud ſatis capiunt, ferant judicium. Ita ſcilicet & λογομαχίαι Theologicæ tractandæ & eventilandæ ſunt, ſaltem, ut conſtet, eas λογομαχίας eſſe. Sed tamen & plurima hîc habentur, quæ ad neceſſariam & acroamaticam Theologiæ theoriam pertinent, quæ Theologis negligenda prorſus non eſt. Certè ex hiſtoriâ dogmatum Theologicorum, quæ in ſummo utique pretio nobis eſſe debet, plurima hic depromſimus & magno ſtudio, quo utique in argumento rariore opus eſt, conquiſivimus. Denique non ſtatim ea rerum theoria macilenta & nullius uſûs eſt, quam, re nondum maturiùs inſpectâ, talem exiſtimaverimus. Quod ipſum, ut in præſenti argumento tibi pateat, lector, en epilogum, ex quo conſpicere poſſis, utrumque dogma, & illud, quod ἀνυπαρξίαν, & hoc, quod perpetuitatem humanæ Chriſti naturæ ſiſtit, luculentum ædificationis præſtantiſſimæ pondus, uti omnia fidei myſteria, uti omnes alias veritates Theologicas, licet merè theoreticæ rerum ignaris ſubinde eſſe videantur, ſecum vehere. Cæterùm & docere hæc poſſunt Theologiæ Studioſos, qui poriſmata practica ex articulis quoque theoreticis, quos Theologia fundit, elicere ſuamque theoriam meditationibus aſceticis diluere atque ſanctificare poſſint & debeant.

Digitized by Google

EPILOGUS.

ETenim, ubi humanam naturam in ὑπόστασιν Filii Dei aſſumtam conſideramus, quidni ſtatim hæc in animum noſtrum labatur cogitatio, quanta hæc dignitas, quanta hæc gloria noſtra ſit, quòd ſummus Dei iſque Patris cœleſtis Filius unigenitus fragilitatem noſtram in ſuæ conſortium perſonæ voluerit aſſumere, & quantus, quàm immenſus, quàm incomparabilis hic Dei erga nos amor ſit, nullis noſtris laudibus, nullâ noſtrâ ſubmiſſione ſatis extollendus, ſatis deoſculandus, quòd ipſe Filius Dei, Deus ipſe ſummus & altiſſimus, non dedignatus ſit, Sanguinem ſibi adaptare noſtrum atque ſuæ perſonalitatis communicatione tantopere naturam noſtram evehere atque exaltare. Inde enim & id ipſum eſt, quòd Chriſtus Goël noſter & Frater factus eſt. Inſignis profectò dignatio, incomparabilis, quod repeto, & immenſus amor! Quem ubi ſolicito & curato judicio perpendimus, facile intelligimus, nos, qui talem Fratrem, talem Goëlem, talem Conſanguineum habemus, & ita jam nos gerere debere, ut nihil committamus, quod dignatione iſtâ ſummâ indignum eſſe poſſit. O ergò ingratiſſimos nos, ſi Deum iſtum, qui tanto nos complexus amore eſt, non redamemus perpetim, eumque, qui humanam naturam in conſortium SS. Trinitatis traxit & evexit, ſumma animi benè ſic ſiti gratitudine, ſummâ ſubmiſſione, ſummâ ſanctitate, ſummo & maximo opere, ſummo amore haud exoſculèmur. Scilicet opus, opus, opus jam eſt, ut Fratri

Digitized by Google

tri noſtro, ut illi, qui ſanguinem aſſumſit noſtrum & hâc conſanguinitate nos cum Deo, irato aliâs & nobis infenſo, reconciliavit, σύμμορφοι fiamus, ut ſanctitatem illam, quâ nobis præluxit ille, omnibus viribus noſtris, quas & ille per Spiritum ſuum nobis largiſſimo beneficio donat, ſtudioſiſſimè imitemur, ut perpetuo erga Ipſum amore flagremus, ut in hoc Fratre & Goële noſtro, cujus præſtantiſſima redemtio eſt, exultemus & tripudiemus, ut in Ipſius oſcula ruamus perpetim & intermittamus eorum nihil, quod ipſi placere poſſit. Quàm verò & firmant & ſtabiliunt hæc omnia fidem noſtram & fiduciam noſtram, quâ tantum Salvatorem amplectimur. Iſte eſt, qui noſtram naturam in ὑπόστασιν ſuam aſſumſit, qui conſanguineus noſter factus eſt. Non poterat nos ſalvare, niſi talis. Sed & talis certò nos ſalvat. Certè nos Frater non deſeret & talis Frater, qui vitam pro nobis dedit atque etiam reſumſit, imò talis Frater, qui talis ſemper manſurus eſt, nec unquam fraternitatem hanc, uti nec humanitatem deponet. Itaque ergò exultemus eja, exultemus in tanto Redemtore eoque ÆTERNO & PERPETUO FRATRE NOSTRO, quod ſecundum tractationis noſtræ membrum eſt. O quantum ſolatium hoc eſt nobis peccatoribus, quòd Chriſtus in omnem æternitatem futurus ſit Redemtor noſter, Goël noſter, Propheta noſter, Sacerdos noſter, Frater noſter, Rex noſter, ſummus Patronus & Defenſor noſter atque animarum noſtrarum perpetuus Sponſus. Scito, anima, & in hoc cùm maximè gaudeto, quòd hos charactères, qui tantâ nos lætitiâ perfundere, qui tantam nobis fiduciam inſpirare poſſunt, Chriſtus θεάνθρωπος nunquam depoſiturus ſit. Si etenim unquam humanitatem deponeret, & illi characteres diffluerent, queis

tota tamen ſalus noſtra nititur. Sed non deponet. Huic Agno, huic Salvatori cum ſanctis Angelorum cœtibus & choris laudes dicturi ſumus in æternum, huic in æternum juncti manebimus, nec erit quidquam, quod noſtrum hoc conſortium divellere & diſſolvere poſſit. Sed, qui noſter in perpetuum futurus eſt, Ejus & ſemper, quæſo, ſimus nos. Hæc amoris divini perpetuitas & nos monet, ut & noſter, quo Ipſum amplectimur, quo Ipſum amamus, ardor perpetuus ſit & æternus. Iſte noſtro amore opus non habet ſed nos Ipſius. Nunquam itaque, ita velim, deſimus officio noſtro, ſed agamus, quod nos, tantâ dignitate, tanto ſplendore ornatos decet. Plura poſſemus addere & adderemus quoque, niſi filum vel tandem hîc abrumpendum eſſet. Unde hîc ſubſiſtentes hiſce monitis diatriben hanc jam obſignamus.

Digitized by Google